[illegible]

Non habitare solent magna Ingenia inforn
Aedibus; atque hederam picto figentibus




Ille mihi ante alios, qui vix à Gorgone Maura
Distat: vt in saxum possit conuertere Momum.



# VULTUOSÆ TORVITATIS ENCOMIUM,

*In gratiam*

**Philosophorum, ac Poëtarum explicatum,**

## A IACOBO BALDE

è Societate IESU.

*Cum Approbatione & Licentia Superiorum.*







MONACHII,

*Typis LUCÆ STRAUBII,*

Sumptibus IOANNIS VVAGNERI Bibliopolæ.

*M. DC. LVIII.*

*Ad*

*Nobilissimum Iuvenem*

# PONTICVM CRESCENTIVM MARCONAM Philosoph. & LL. AA. Canditatum

# PARAENESIS.

*Philosophis, ac Poëtis, cultum, nitorémq; formæ, vestium, & calamistri, ceteráque corporis commoda, non magnopere curanda esse.*

Præmittitur Dissertatio prævia,


*DE*

## STVDIO POETICO,

Vi Professionis suæ,

*Torvos alumnos requirente.*






*Dissertatio prævia.*

# De Studio Poëtico.

*Ad*

## Ponticum Crescentium Marconam.

IAm dudum adverteram, Optime Crescenti, te laude, atque amore Artis Poëticæ capi. Quia indoles, ardénsque cupiditas huc ducunt; idemtidem sollicitas, ut experientiâ rerum, & usu instructus, non sinam perire, quæ Iuventuti utilia fore confidas. Sed substringenda esse tua vota tantisper existimo, donec Curriculum Peripateticum confeceris. Si intenderes elicere Iuveniles meas Musas; possem fortasis hactenus indulgere. Nihil enim adhuc earum nugarum edidimus in lucem, quibus nugari didicimus. Sin ad Grammaticorum Leges, vel potiùs lites respicis, hortator, ut illorum more præ-

cepta conſcribam, numeroſa, oneroſa, plurima, diverſa, diſtincta; nihil impetras. Non vacat mihi, poſt tot emiſſa Poëmata, hac ætate declivi, non vacat, inquam, numerare, vel multiplicare Appendices Tertij generis &c. Deſpauterij pulverem elementarium lambant, qui volent; & cum Palæmone, ipſóque Priſciano, vulpinentur, quantum volent. per me licet. Præcepta petis? Nova, an vetera? Veteribus abundamus: adjungere Nova, non eſt neceſſe. Copioſa jam olim, non ſine inſigni delectu, vel ex ſola Societate noſtra tradidere Doctiſsimi Viri; Iacobus Pontanus, Alexander Donatus; noviſsimè Iacob. Maſenius, perquàm nitidè. Quid Academicis Proluſionibus Famiani Stradæ illuſtrius? quid Allocutionibus Vincentij Guiniſij prudentius? Vterque ingenium tuum, Poëtarum myſterijs initiandum excolent. Si ſubvereris ſublimiores pro captu: priores adi. admove ſugentibus labris illorum Promptuaria. faciliùs, atque uberiùs lactant. Nocet tamen & horum nimius hauſtus. imbribus nimijs videmus ſterni ſegetes. Haut aliter immenſâ præ-

tâ præceptionum copiâ, velut inundatione quadam, obruuntur adolescentes Discentium plantæ. Multi Grammatici magna tempestas: lis sine fine: finis sine judicio: judicium sine ingenio. Vbi roduntur syllabæ, nulla unquam malacia Maris animi. *Multi Medici perdiderunt Cæsarem.* Multi Grammatici Iuventutem.

Nescio etiam, quomodo præceptis tradendis supra modum dediti, in se ipsos peccent. Sibimet obstetricantur, & tamen abortiunt; aut nimis præsidentes, aut nimis anxij. Fiduciâ sui plùs justò elati, nonnunquam proprios Canones abrogant, tamquam Auctores potestate præditi, quibus jus, fas sit, habenas Pegaso laxare, vel restringere. Atqui sæpe in procursu erramus: & decipiunt nos opiniones nostræ. Non continuò tetigeris scopum sagittâ Phœbi, quem tangi posse monstrabis. nimirum aliud est, arma fabricare; aliud, ijsdem strenuè uti posse. quasi etiam hîc valeat illud Senecæ: *Longum iter est per præcepta, breve per exempla.* In anxijs autem hæret regularum, & mille observationum conferta,

ſi non & ſupervacanea farrago, ſuffocans ſementem lætioris naturæ, Muſarúmque liberalium indolem. Superſtitiosè ſerviunt idolis ſuæ mentis, trepidant ad omnes umbras, etiam fictorum corporum. rixantur cum certis ſyllabis, atque nominibus; perinde ac ſi in ijs rerum cardo verteretur. *Stilla*, an *gutta* in verſum aſſumenda ſit, dubitant, conſulunt, expendunt. quippe cum Salluſtio, *Deliberandum eſt diu, quod ſtatuendum eſt ſemel*. priùs ſtillæ, guttæq; omnes per clepſydram fluent, quàm ſtatuerint. Hi ipſi tamen ceteris in rebus majoris momenti quandoque incurij, an etiam ignari! Quo ſtatu, pereunt vires, & triſti marcore flaccefcunt. Perit illæ floridæ hilaritatis ſuccus, ac quædam genialis ubertas. turbatur vena phanaticis commentis, & exhauritur antè, quàm fluat: vigore, qui ad afflatum numinis debebat effundi, per ignobiles Didaſcalorum derivationes, jam conſumpto: immo non ſine animi mœrentis ſupplicio, adhibitis ſiphonibus, carptim veriùs extracto. Vt adeò, neque hoc titulo, verboſior præceptio-

ceptionum ſtructura ſit optabilis. Ego aliâ te viâ ducam, auſculta.

Plurima in omni Scientiarum, Artiúmque genere, præſertim autem in addiſcenda, tantóque magis in exercenda Poëſi, qualis Veterum fuit, ſacra, ſolidáque, requiruntur ad *Potentiam*, quam vocant, *Expeditam*, ut prono niſu in actum emicet. quorum unum ſi deſit, ut cetera ſuppetant, quemcumque parturias ingenij fœtum, elumbem protruſeris. hic error inobſervatus, vel per incuriam neglectus, multos fefellit; multos fallit: quoſdam majora viribus ſuis molientes, in ipſis aggreſsionibus ſtrangulat. Dictum, ſcriptúmque ſine invidia hoc, atq; ambitione eſto. examina veritatem lanci impoſitam; & fidem habebis. Quot ſe jam Delphos penetrâſſe exiſtimant, intráque cortinam Apollinis latitare: & vix in atrij ſeptis ſtant, toti adhuc profani. *Eminus aſpicere montem bicipitem, invocare Lebetrides Deas: Proſerpinæ currum ſequi, Furiarum nomina, & mores nôſſe, turbare Avernum, vincire capita Cerberi: ab Elyſijs hortis ad ſuperos remigrare; librare primi, & ſecundi Iovis tricuſpides: Orientem*

*Solem adorare, Occidentem commendare Gadibus; Auroræ lacrymas detergere, Hesperum substituere fratri: fundere nimbos rosarum, addere nives liliorum*: tum verò ampliùs *luxuriare in descriptionibus montium, nemorum, fluminum, locorúmque, quæ fabulosus Hydaspes lambit*; incipientium Poëtarum *primam tincturam* voces. Primordia hæc, sicut requiruntur, ita supponuntur. usurpata placent, sed dignitatem non obtinent, nec punctum ferunt. phaleras ab justa armatura distinxeris. cristata cassis ornat virum; gladius defendit. Quò tendo? Suprà memorata, comere, non consummare Carmen, instar aromatis adhibenda. pone, abundanter istud inspergi: nondum sapiet omnibus. ubi curiosa, felíxque inventio? ubi solers, prudénsque dispositio? ubi mascula, castéque florens, sed & continua, nullísque paroxysmis interrupta elocutio?

Poëtam te, *Crescenti*, volo, non *versificatorem*. nam isto hominum genere nihil est vilius. omnes parietes, ipsum pavimentum, quod calcant, extemporalibus, & inficetis versiculis gaudent incrustare: (an conspurcare?) Tales vestiunt

muros,

muros, ſuſpendunt emblemata: ad ravim uſque laudant vivos, functóſque. imminent tumulis, ac cunis. Rhythmicos dicas pollinctores; circulatorios paranymphos, nuptiales agyrtas, genethliacos chiromantas. ubique declamant recitatores moleſtiſsimi. felices ſe putant, quia veloces: cùm velocitatis cauſſa potiùs inſcitia ſit, quàm gratia. Conſidera ſitus. Verſificator *ſedet*, cupiditas *volat*, animus *pendet*, ingenium *jacet*, inſcitia *ſtat*, verſus *currunt*, & *præcipitantur* per ſaxa, teſqua, confraga; infantibus, puerperis, natalibus, thalamis, pijs, impiiſque manibus venales pretio, quo præſagia ſua vendunt Cingari. Interim nulla dubitandi ratio, mutandíve quidquam occurrit; nulla ſubducendi lineam, delendíve cauſſa. odere lituras: quia melius nihil incideret. ergo placentes ſibi, ſua, & quidem omnia, amant ſine competitore, probant ſine teſte, abſolvunt ſine judice. Quamquam & nimijs ſuarum rerum, ſcrupuloſiſque oſoribus, alterum extremum inſtat, naufragantis diligentiæ non minus periculum: Iuvenibus tamen rariùs timendum. Aliqui puerili-

ter ſolliciti, & abjectè pavidi, ad moroſiſsimum examen conceptuum ſuorum hærent, tamquam ad ſcopulum alliſi. nec progredi poſſunt, nec regredi audent. tardat mora: diſplicet celeritas. nulla trutina ſatisfacit. ſemper incubant ovis: pullorum nihil excludunt. Sunt, qui in ſeipſos proprias vertunt manus, & cenſoriâ crudelitate tranſverſùm acti, quidquid excluſerint, jugulant, perdúntque. Alij, cupiditate majoris famæ conſequendæ, nullum finem inveniunt exornandi ſimiolum ſuum: quóque magìs excolunt, turpiùs dedecorant. *Nec temerè, nec timidè*, cujuſdam Domini peculiaris gnoma eſt, trahens ortum ex illo vetuſtiore oraculo: *Virtus eſt medium vitiorum, & utrinq; reductum*. Vide, ſi placet, XII. Articulos Agonalibus Heliconijs præfixos, in certamine noſtro Poëtico de Vanitate Mundi.

Quæ commemorantur idcirco, non ut propoſitis difficultatibus deterrere quemquam velimus ab aſcenſu montis, ſed præcipitio, ſalebríſque oſtenſis, quà præmonendo, quà præcurrendo, ſecuriùs attolere. Ac vide, quàm nihil diſsimu-

lem.

lem. Ajo, non omnes diſciplinas eodem modo ſe habere, ad capeſſendum propitias. ſimul atque nonnullas liquidâ cognitione hauſeris; erunt ex integro tuæ. Philoſophicas intra triennium adipiſci potes. nitidè, copiosè, claréque adeptus, theſauro fruêris non alieno, ſed tuo. Diſſerens, diſputans, aciem præliaris ingenij in omnem partem rotans: dicerísquePhiloſophus, ab Ariſtotele Ariſtotelicus, à Platone Platonicus; non quòd ipſe tales dialogos, atque problemata, velut tui ingenij monumenta poſteritati tradideris; ſed tradita, probéque intellecta, in tui uſum adlegeris. quorum ſcita defendis, horum & nomen, famámque ſortiris.

Longè in alios anfractus porrigitur juſtæ magnitudinis Poëſis. ideóne ſublimioribus ſcientijs anteferenda? minimè verò: ſed declaranda, ne tortuoſa ejus indoles ignorata, inhiantium vota deſtituat. Luſtrum, & amplius fortaſsis inſumes, luſtrabíſque canoræ Rupis fundamenta, omnium Vett. Poëtarum arcana. *Ilias*, *Æneis*, *Thebais*, *Metamorphoſes*, *Pharſalia* in te condita ſint. ſupponam,

tæ etiam universâ Mythologiâ, immo encyclopædiâ Poëtica, ceu tunicâ Martis adamantinâ, circumdatum: quamdiu intra metas, sive sphæram intelligentiæ stas, nihil profeceris. optimus Poëtarum interpres, non Poëta vocaberis. Quo nomine Commentatores eruditissimi censebuntur, ante quos mystica Vatum caligo, quasi in meridie posita jacet. callent versus, illorúmque vim, & nervum, *ut digitos, oculósque suos*, explanant figmenta tam vivaciter, ac si ipsi finxissent. jube, ut æmulentur; subducent humeros: abnutabunt. De lauro scribunt, sed laurum non gestant. præcipiunt alijs, quæ ipsi exsequi non valent. Vt Flaccus ait:

*Funguntur vice cotis, acutum*
*Reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi.*

Suprà monui, in Philosophum evasuro, philosophiæ ab alijs acceptæ cognitionem sufficere, ad dignitatem nominis tuendam, sine auctario domestico: quod à Poëta docti exigunt. Vlteriùs ingenij exporrigenda vis est, dandúmque specimen, an ad illos, quorum decus tibi vindicas, imitatione legitimâ accedas. Aristotelem

ſtotelem legis, intelligis, explanas: Ariſtotelicus es. Virgilium legis, intelligis, probas: non es propterea Virgilianus, non es *felix Æneidos* auctor. ejus gloria penes *Maronem* manet; Thebais, etiam penitiſsimè intellecta, penes *Statium*. Vis in ſimiles ſtatuas adoptari? vis & tu digito monſtrari *dignus imagine macrâ?* Eja: cane & tu *paſcua, rura, duces*, parili avenâ, æquali fiſtulâ, reſpondente tubâ. Exquire tecum, an *Fraternas acies, alternáque regna profanis Decertata odijs, ſontéſque evolvere Thebas, Pierius menti calor incidat*. Conatum omnes laudabunt: ſucceſſui, tot ſeculorum decurſus, fataliter oppoſitus reclamabit. Vnde in diverſis artibus, atque ſcientijs hic ancipitis aleæ jactus? in Philoſophia, & Poëſi tam enorme diſcrimen? Nimirum Philoſopho, veritatem amanti, novitas interdicitur: à Poëta, figmentis delectante, expoſcitur; fidibus, & fidiculis.

*Et prodeſſe volunt, & delectare Poëtæ,*
*Aut ſimul & jucunda, & idonea dicere vitæ.*

Neque ſimplex novitas poſcitur, ſed illecebroſa; neque hæc tantùm, ſed ſcitâ dictione, facilíque imitandi felicitate, fragran-

grantia Veterum vina redolens, contrarijs quodammodo se intendentibus. Antiquitatis venerandæ ratio semper habenda est, musteáque dictio cratere, ex quo Augustus Cæs. bibit, temperanda. castam latinitatem nisi Pegasides propinent, nullum venustum Carmen exsurget.

At enim difficultas crescit ex eo: quòd, sicut intra majorum vestigia juberis indulgere tibi; ita, nisi exerres, tamquam ruptis repagulis, nullus habearis. quid enim? tua petuntur, non antiqua, nova, inquam: non Virgilij, non Ovidij, non Lucani, non Horatij monumenta. jam olim perlustravi, dicet aliquis. *semper simulare Cupressum*! jam cupiam *de cedro dici*. quâ venâ tuum stillet ingenium; aperi. Vetustatem indagavi exactissimè. nostrum ævum quid agit? inventa invenire, cantata canere, rapto vivere; sit tantæ molis negotium! Talibus argutans, ante portam crucem statuet, tamquam furtorum reo, & plagiario plagis digno. Ergo non licebit, inquies, *Claudianum* imitaturo, ex raptæ Proserpinæ quasillo decidentes colligere flores! phrases, vis dicere. Sanè licebit. poteris etiam

tibi

tibi circumdare opes; & angues Ruffini, Gildonis ariſtas, Alarici ſpolia, laciniam ex purpura Honorij, criſtas, quæ in galea Stiliconis ſteterant. Quin etiam faſciculum ex faſcibus irriſi Spadonis conficis? jubar quoque ſereniſsimum ſplendeſcet ex Serenæ laudibus. Si tamen præter febriculoſos verſus à te compoſitos, quibus ſimilia inſperguntur, novi nihil, atque egregij attuleris; fruſtra te Claudiani pullum vocabis: nullâ donandus ſtatuâ, manebis inglorius. unde originem trahas, cujas, cujúſque fortunæ ſis; nec Alexandria Aegypti, nec Italiæ Florentia curabit inquirere. Præter quam, quòd *cornicula furtivis nudata coloribus*, riſum creat; nihil audere, nihil excogitare poſſe, nullâ dictione uti, niſi emptâ; extremæ vilitatis eſt: ſervilis immo ſortis, egentis ingenij, pravi judicij.

Memento, Grajos eodem vocabulo Phœbi Sacerdotem cohoneſtare, quo Deum: quem *Poëtam* à faciendo, fingendóque vocant. uterque ſtatuit opus foras productum, quod paullò antè in rerum natura non erat: Deus ex nihilo; Poëta ex cerebro. Vnde & *Carmen condere* dicitur,

tur, quo modo Deus *Mundum condidisse*. quem loquendi modum Oratores usurpare verentur. Orationes suas componunt, non condunt. Vides igitur, ex hoc quoque capite, aliquid novi à Poëta exspectari. Quòd si defectu naturæ, artis, gratiæ non affert; culpabitur aliena vineta cecidisse: non fecisse versus, sed transplantâsse germina peregrina. ex suo horto sumptum sevisse nihil, præter carduũ, & fungos. Atqui, objicere potes; *ad imitandum provocamur*. Rectè, *non nisi lectione Vett. in nostros usus conversâ*. Nec hoc negabitur sed interest, cibum emendicatum continuò evomas, adhuc crudum; an, eo in sanguinem verso firmeris, adolescas, vires augeas. haut aliter, lectorum Carminum frusta cum Poliphemo semesa eructes, an, ut alimenta concoquas; impleásque, ex bene digestis, subáctísque, Poëticam venam: quâ sectâ generosius sanguis, tuus utique, ebulliat; & Castalius liquor despumet in pateram Apollini offerendam. Hæc assequi ut velimus, ac possimus, facilè suggeruntur; non itidem impetrantur. multorum votum, paucorum est donum, ab Veterum

aucto-

auctoritate non recedere; ab ijsdem tamen, proprijs inventis, novis loquendi modis, tropis, atque figuris ex vitali cordis fonte manantibus, recedere. At fieri id ipsum posse, docuit *Cl. Claudianus*, auctor clarissimus, quadringentis annis post Aureum seculum, novo Consulari auro, nitidissimè, venustissiméque effulgens. Thebas, Trojam, Pharsaliam peragraverat; Maronem, Ovidium, Lucanum, Statium evolverat; haut dubiè in florem sanguinis, & animæ suæ verterat: non tamen apparet, quid Virgilio, quid ceteris debeat. gazam suo labore acquisitam, facundissimè dispensavit, ut propriam. Nec facilè reperias segmenta, ex quibus deprêndas, accuses, aut velut Veterum pedissequum despicere possis. Divitijs animosus suis, *prisco non indiget ævo*. Cecinit *Catullus* Epithalamium: cecinit invidendum *Statius*: cecinit & *Claudianus* in nuptijs Honorij, & Mariæ. confer molles numeros, confer ingenium, inventionem, majestatem, lepôres, Decorum: inter hos tres Paris judex dubitet, cui palma debeatur. ego ultimo assignarem: *Statio* post *Virgilium* in omnibus primas.

Ex

Ex his, opinor, intelliges, Poëma novum, rarum, elegans, eruditum sine fastu, expolitum sine fuco, derasum sine fastidio: quódque inter ingenij, judiciíque libramentum, ex amœna caligine profundorum sensuum enitescens cum voluptate consurgat; rerum unam esse difficillimam. quale est, quod invitat ad imitandum, anhelantis cœpta frustratur; plúsque significat communibus verbis, quàm aliud quodvis ampullantibus promittat. Huc conducet adhibendi styli necessaria cognitio, quamvis enim omnium Poëtarum notitiâ præditus, abundes insuper copiâ verborum exquisitâ; si tamen stylorum vim, ordinem, genium, varietatem, mixturámque nescias aptare materiæ, rerum naturis, tempori, personis, tibi ipsi, tuíque, & alterius animi affectibus; inconditum chaos excitabis: similis Citharœdo, qui se Orpheum professus, ignorat temperare fides.

Adjice jam animum, si placet, ad Venusinam Lyram. Odæ Q. Horatij Flacci, usu jam, & veneratione antiquitatis, ab omnibus doctis receptæ, commendantur à nitore latini sermonis, à salibus, & jocis:

jocis: obtinuere venustatis non simplicis decus, influúntque auribus, non operosâ suavitate felices. etiam, cùm alliduntur, & cespitant, decorem trahunt à quæsito neglectu. *Sic credere cogimur.* Quotidie, etiam testudinis peritissimi, perfunctoriâ manu in chordas ruunt, carptímq; quasi somnolenti, percutiunt. An Horatius præ mera otij dulcedine, dedignatus se totum semper exerere, contentus fuit, petulanti digitorum incursu, verberare barbitum. an homo ventri, vino, Veneriq; deditus, non potuit, aut voluit sufficere solertibus citharæ curis! certè nonnunquam tepidissimos versus, more pandiculantis sub arbore, aut ad *splendidiorem vitro Blandusiæ fontem*, fudit. seu tunc Lalagen suam sobrius, sive lagenam ebrius aspexerit: certum est, multas Odas privilegio insignitæ Vetustatis honorari. quædam membratim divisa, si inspiciantur, nullam admirabilitatem excitant, rejicienda fortassis, si Neotericus scripsisset. nunc stant suo nomine firmata, contrà ire non licet. Quid igitur ages scripturus Odas? Horatiani Carminis

Idea

Idea Divinitatis titulo consecrata est. placuit etiam Nasoni, nasutissimo Vati. clamat ex Ponto;

*Detinuit nostras numerosus Horatius aures:*
*Dum ferit Ausoniâ carmina culta lyrâ.*

Non est ampliùs liberi arbitrij, seligere, vel aspernari. jus nobis ademit fama nominis, quæq; ab exequijs intenditur, veneratio. Huncsequi, huic cedere, hunc adorare debebis: huic etiam meliora submittere. imitaberis? nempe ejusdem cimmelia proferes, demptis hellenismis, exhauries illius supellectilem brevi tempore, etiam parcè vivendo. *Vitreum Proteûs pecus egit altos visere montes: Poscat agna: Vrget odoribus: Simplex munditijs: Intentata nites: Benignius deprome quadrimum: Animaq; magna prodigum Paullum: Brachia cerea: Macerer ignibus: Quintâ parte sui nectaris imbuit: Malus celeri saucius Africo: Pinus silvæ filia nobilis: Imbelli citharâ carmina divides: Quem criminosis-cumq; voles modum, &c: Insani leonis vim stomacho apposuisse nostro: Igneam defendit æstatem capellis: Deviæ olentis uxores mariti: Hic in reducta valle cani-*

*canicula: Arcanique fides prodiga, perlucidior vitro: Urit grata protervitas: Et vultus nimium lubricus aspici: Frangere persequor: Iecur ulcerosum: Natis in usum lætitiæ scyphis: Solutis Gratiæ zonis: Mordet aquâ taciturnus amnis: Quò bruta tellus, & vaga flumina: Lascivis hederis ambitiosior: Pennâ metuente solvi: Umbram hospitalem: Lympha fugax trepidare rivo: Fuge suspicari: Iam tibi lividos distinguet Autumnus racemos: Iuvenúmque prodis publica cura: Desine mollium tandem querelarum: Facili sævitiâ negat: Platanúsque cælebs: Myrtus, & omnis copia narium: Dulcem elaborabunt saporem: Nec tinctus violâ pallor amantium: Nec Mauris animum mitior anguibus: Protervo cruda marito: Splendidè mendax: Loquaces Lymphæ desiliunt: Et cadum Marsi memorem duelli: Latè Tyrannus: Perfidum ridens Venus: Munitaq́ adhibe vim sapientiæ: Plurima naribus duces thura: Niveus videri, cetera fulvus: Eurus per Siculas equitavit undas: Et vitem viduas ducit ad arbores: Ridet argento domus: Impellunt animæ lintea Thraciæ.* Vt ne plura referam: hæc sunt non tantùm aliqua, sed multò pars

maxi-

maxima earum rerum, quas in Flacco Lyrico admiramur. certè in similibus elegantijs infinitus non est. Imitator in eadem si semper impingat, non Horatianus, sed Horatius erit, frustra rescribendus. Si relinquat insulam Cypri, ubi habitavit, & elegantias suxit, maximam partem vetitas: id est, si non eâdem chordâ oberret, eamdem, quod ajunt, serram reciprocet, nullus habebitur. Quid igitur facias? Recedendo, tamquam ab igne, frigebis: accedendo propiùs, ambures florem castimoniæ; (quod Heterodoxi non curant: putántque, se jam tenerrimè, cultissiméque loqui, si sint lascivi:) perdes oleum, & operam. à Latinitate, ijsdémque dictionibus, modísq; loquendi Horatianis abstinens; de tuo necessum erit, ut sufficias naturâ, & arte mixtum. Legimus Auctores *juratos in verba Magistri*, qui tantùm non perpetuas Parodias recitârunt, sine plausu exceptos.

Sic tecum reputa: Nisi stylum erigas, reptans calcaberis; petiturus arduâ, vel cum Icaro decides, vel supervolantem pauci aspicient. quò altiùs iveris, minor

propter

propter distantiam sub visum cades; ac nisi per nubila continuis alludentibus radijs intermices; ignoratus, voluisse latere censeberis, vitio obscuritatis damnabunt, quamvis ipsi vitio cæcitatis laborent: oculósque Lethæo humore suffusos, Arcadicæ pecudis glaucoma corruperit: in quocumque tandem error sit; Docti, indoctíque, quem mente apprehendere desperant, nec manu multùm prehendent. Superest media via: *Medio tutissimus ibis.* Quomodò tutissimus? medio iturum, euntémque, quivis Aristarchus de ponte dejiciet; rediget in ordinem; coget in trivium; despiciet infra subsellia vulgi depressum: *Nam, quid novi lemmatis attulit, propter quod legi dignus fatigaverat prælum? nil molle, nil facetum, nihil supra vulgus! hic se Vatē Lyricū venditet, hymnidicus esuriter, forensis Tuccius! nam quando assurgit? quando feliciter est audax, prudenter timidus, fortiter cautus? quoties festivè ludit inopinato subsultu? quod Flacco tamē familiare fuisse constat. Vix hunc Poëtastrum agnosco. nunquam mulcet, nunquam terret; nunquam fricat, nunquam delectat, ne titillat quidem.* *At sermone nitet,* verba

nisi ex Horatij sacrario desumpta promere religio est. Respondebit, *repete: jam audivi millies*; jam legi centies exspectabam nescio quid! ad repetitam cramben mittor. Hæ tunc voces erunt. *Ibis tu tamen excusso missus in astra sago.*

Terremus nempe larvis, & fingimus vanos metus! Non habeas fidem meis obtestationibus, nisi, quæ hactenus asserui, ipsius Horatij verbis, quem tu juxta mecum æstimas, luculenter confirmavero. Attende, quæ Pisonibus suis, quos Arte Poëticâ imbuendos susceperat, quæque alibi in Satyris, & Epistolis suis sparsim, instillet. Ad hujus exemplum, & stimulos provocâsti; fruere.

Cuperes, non alto clivo, aut præcipiti viâ, sed humiliore semitâ, tutioréque Parnassum scandere? accipe monitum.

*O major Iuvenum, quamvis & voce paternâ*
*Fingeris ad rectum, & per te sapis: hoc tibi dictum*
*Tolle memor. Certis medium, & tolerabile rebus*
*Rectè concedi. Consultus Iuris, & Actor,*
*Causidicus mediocris, abest virtute diserti*
*Messalæ, nec scit, quantum Cascellius Aulus:*
*Sed tamen in pretio est.* *MEDIOCRIBVS ESSE POETIS,*
*NON HOMINES, NON DII, NON CONCESSERE COLVMNÆ.*

Promisi

Promisi monitum, habes oraculum, ore rotundissimo pronuntiatum. Mediocritas tibi, *Marcona*, secundum hunc quidem superanda est: minimùm vitanda. vitare autem cupienti, multóque magìs egressuro cum laude successûs, pluribus annis opus erit, quàm Musarum numerus includat. Neque enim semper labori respondet proventus; Poëta exspectationi, exspectatio votis, vota ingenio. hortabuntur amici: fodicabunt gratissimis stimulis, omnia in cœlum efferre parati. pulsabit unus pede, eriget manum, torquebit oculos. tam citò, tam bellè! jurabit parasitus per nonaginta novem patinas: præferet antiquis. *Hæc enimverò est*, dicet *fabula plausibilis*. Sed de te fabula agetur. Poëta, Ianus bifrons sit, oportet. antè, retróque perspiciat, falsum à vero discernens; futura cum præteritis conferens: interdum deliberans; num vera dixit! num sic vena fluit! num Rupem ascendimus ipsam!

*Non cuivis homini contingit adire Corinthum.*

Tametsi contigeris Parnassum, quid tum postea? hic mons, instar Fodinæ metalliferæ Suazensis, infrà, supráque confos-

 fus

sus, & perfossus est: vix ullã venã reperies intactã. hoc est, quod cruciat Parnassios fossores. novis inventionibus destituuntur. multa tibi pollicêberis, non aureum, sed æruginosum ingenium ostensurus. Pergamus.

*Neque enim concludere versum*
*Dixeris esse satis. neque si quis scribat, uti nos,*
*Sermoni propiora, putes hunc esse Poëtam.*
*Ingenium cui sit, cui mens divinior, átque*
*Magna sonaturum; des nominis hujus honorem.*

Vnde colligas; inscriptionibus, Chronostichis, Anagrammatismis, Epicyclis, Rhombis, cuneis, in quorum figuram, & ordinem, nonnulli principia, finémque metrorum, velut arbores in quincuncem directas, disponunt; Poëtæ decus nequidquam obtineri. Mechanicum, & Circulatorium inventum dixeris. Genialia Lucinæ, funebria Libitinæ in medio relinquuntur. Excandefieri possunt ab ingenijs, & magnum nomen mereri; sed quando?

*Difficile est propriè communia dicere: túque*
*Rectiùs Iliacum carmen deducis in actus,*
*Quàm si proferres ignota, indictáque primus.*

Quæ propriè dicuntur, nunquam displicent; quia sine ambitione. hanc minùs vita-

vitabis dicturus communia, vel nitidiùs, vel altiùs. quod tamen fieri necesse est; ne sermone pedestri eques laureatus videatur incedere. tunc scilicet omnes equitant, cùm Solis equi describendi sunt. his cum Phaëthonte prolapsis, magna Pars Vatum pedibus conficit viam. humilia loquuntur, neque Solis currum decentia. Miser Phaëthon in Eridano fumans absque funebri cultu relinquitur: nisi si Sorores ejus, tuo *stantes in littore silvæ*, in subsidium electra conferant. At enim summa Veterum laus fuit, etiam humilia non vulgariter efferre. Apud Virgil. *Ita farier infit. Tunc sic orsa refert.* &c.

*Carmen reprendite, quod non*
*Multa dies, & multa litura coërcuit, atque*
*Perfectum decies non castigavit ad unguem.*

Non tam mollia fila sunt croci, non tam subtilia Arachnæ, quàm ea, quibus delicatum Poëma conficitur. Sic Minerva docuit, poscítque similem telam, qualem multi se arbitrantur texere, quasi de Serum stamine: cùm revera sæpe tantummodo ex scissis in partes rudentibus horribilis lodix appareat: Poëma nullius

gratiæ, aut illecebræ. verborum quidem ampullantium vorticosa conglobatio; sed inanis, sine pondere, sine sensu. possumus etiam inter astra sublimes repere: contrà, in terra cœlum tangere. proinde ad limam accedendum est: figendus unguis in tuberibus metrorum: extinguendæ verrucæ; nisi si quædam relicta, decere placitura credatur. quemadmodum in facie humana, eáque emendatissima, nonnunquam relinqui unam, & gratiosè nitere videmus.

*Pollio Regum*
*Facta canit, pede ter percusso. fortè epos acer,*
*Vt nemo, Varius ducit. molle, atque facetum*
*Virgilio annuerunt gaudentes rure Camœnæ.*

Genium, vímque diversorum Vatum exprimit. Amentata metra, ceu missilia ad jactum confecta, tanti non videtur facere. Est quidem Epigrammatum venustas, & elegantia magna; si in tempore spargantur. Mirum tamen! Augusti temporibus non æstimabantur. Sub Domitiano Martialis Coquus ollarem Poësin intendit. laudamus omnia: sed tu, *Marcona*, dabis operam; ut pharetrâ Apollinis instructus, cum Virgiliano Aenea *tres littore cervos Cornibus arboreis sternas*: non contentus

spi-

spiculis Bilbilitano aceto tinctis, cornicum oculos configere.

*Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino,*
*Atque quibusdam alijs, meliùs quod scribere possem.*

Cur Atacinus displicuerit, non explicat. An majora viribus suis aggressus, destinata consequi non potuit? Vetus illud: *possunt, quia posse videntur.* An sufficere putavit, summa mente complecti; deses deinde supersedit urgere conatum? id hodiéque obtinet.

*Maxima pars Vatum, pater, & juvenes patre digni,*
*Decipimur specie recti. brevis esse laboro,*
*Obscurus fio. sectantem lævia, nervi*
*Deficiunt, animíque. professus grandia turget:*
*Serpit humi, tutus nimiùm, timidúsque procellæ.*
*In vitium ducit culpa fuga, si caret arte.*

Misera sors scriptorum, omni ævo; sed maximè Poëtarum. communem loquendi modum egredi jubentur; à Communitate tamen nisi etiam intelligantur, censuris cruciandi despicatui ducentur. Quis has tenebras dispellet? obscurissimus mortalium habitat in caligine. ut Hesperugo nebulas, ut sepia nigrorem diffundit. Neque verò hæc involucra, ab recondita, spissáque eruditione intenduntur. Animi nox est oculis meis ini-

mica. Auctorem deprehendo obnubilum. vacuitas cerebri, scriptionem tenebris replevit. Et verò Poëma sine claritate; Mundus sine Sole, Sol sine luce est. *Crescenti*, clarescere debes. pauci ex Commentario volunt sapere.

De Art. Poët. *Pictoribus, atq; Poëtis,*
*Quidlibet audendi semper fuit aqua potestas.*

Poëtas, & Pictores, multâ similitudine necti, nemo negaverit. Vt dissimilia prætercam, etiam extra quidlibet audendi potestatem, in quibus conveniunt, hæc sunt. Vtrique circa simulacra mentis exprimenda occupantur. In Larario Phantasiæ idola fabricant (& hercle nescio, an non aliquando ijs sacrificent, tura ferant, placendi studio.) figmentis indulgent, Hypotiposes exhibent: hi coloratas, isti sonoras. hi penicillo ludunt, isti plectro. hi oculos pascunt, isti aures. Vtraque Natio topographica, utraque sicci fugiens, amans umbræ, & cortinæ, intra quam pingunt. velamine reducto, tum verò ostentare gaudent opera perfecta. Ante ultimam manum impositam, spectator est fastidio: censor etiam odio, rudis ludibrio. Sed propiora instituto nostro

perſe-

persequar. Nónne advertimus, jam pueros in ludo, proclivitate nescio quâ, sine arte, & modo, conari tamen adumbrare leporem, muscam, cervum, canem, asinum? Naturalis propensio manum otiosè ducit. Admoveantur adulti serio penicillo. Vt longo tempore discant, ut omnes vires exserant, ut toto ingenio utantur; quot ex magno numero evadent Titiani, Dureri, Rubenij? Semina Poësios plerisque ingenijs inspersa sunt, produnt argutiùs dicta, sententia vibrans, & subita, cum lepôre non quæsito: Versiculus extemporalis, epigramma suavitate philautiæ condîtum: Amor hujus studij, metri sonantis: & vel in vernacula voluptas Rhythmi. Quidam tantùm non effusis habenis illuc aguntur, ubi Enthusiasmi habitant. Pulcra spes magnarum Rerum. Post aliquot Olympiades studio Poëtico impensas, ipsimet multi fatebuntur, didicisse se scandere Olympum, sed non Parnassum. Non omnia maturantur. non omnis vena fons est, totâ spes plurimorum Adolescentum dehiscit. Destitere: Ajo, vires animi assequi non potuisse, Alterum est. Aliquorum Pi-

ctorum vis ad parva duntaxat se extendit, magnis ostentis impar. in annuli gemma ducit aliquis effigiem, pusillas imagines in charta, ebore, argento, marmore. Ad Rubenianam Statuam, torosam, vivacem, analogicè metricam, quasi extantem, ad clamantem colossum trepidat, hæret, stupet. Nec similem pedem efformaverit. Inter argutos versiculos, justúmque Poëma, & lauro dignum, magnum discrimen est.

De Art. Poët.

*Scribendi rectè, sapere est, principium, & fons.*

Ac si diceret; *Virtus est, vitium fugere: & sapientia prima, Stultitiâ caruisse*, Ep. l. 1. ep. 2.

Nam sine mente ruere in commenta Poëtica: aut jam credere, intra quinquennium, omnia ad fastigium necessaria, possideri: fugientis judicij nota certissima est. quippe qui nec intellexerit comprehendenda: nedum in cumulum collecta comprehenderit. ergo & ingenio opus est, ut ingenium exerceas: & judicio altero, ut illo utaris.

*Non satis est puris versum perscribere verbis:*
*Quem si dissolvas, quivis stomachetur, eodem*
*Quo personatus pacto pater.* Sat. l. 1. Sat. 4.

Versus in sua membra fracti, nihilominus

mis Poëticam laurum redoleant : quomodo flores in coronam illigati, quamvis stemmate dissoluto, adhuc fragrant. Sunt varij loquendi modi ; qui cuique Carminis genio conveniant, nasuti statim odorantur. Aliter rem Historicus, vel Orator effert ; aliter Poëta. In ipsa Poësi aliter Elegiacus, aliter Satyricus : à se remoti invicem, plerumque non tam sono distantium verborum ; quàm structurâ totius artificij, & fluitantis spiritûs, qui molem agitans, sensa, vitámque insinuat. sed jam passim, instar Andabatarum, promiscuis sævitur instinctibus. cæco furore, tenera, fortia, mollia, dura, Heroica, Lyrica, Elegiaca, Satyrica in eumdem alveum rapiuntur.

De Arte Poët.

*Interdum speciosa jocis, moratáque rectè*
*Fabula, nullius Veneris, sine pondere & arte,*
*Valdiùs oblectat populum, meliúsque moratur,*
*Quàm versus inopes rerum, nugæq; canoræ,*

Ita est. Quot videmus fabulas quotidie dari ab ijs, qui Poësin ne quidem intelligunt : nec absque plausu ; vitio vulgi, cujus tota voluptas stat in sensibus : maximè natat in oculis : in auribus jam vix præter modulatam hæret. Recita Car-

men pulcerrimum. præferetur illi gannitus Cauponis ebrij. stulti clava, clavam Herculis in populari Dramatio superabit. Parasitus, Rusticus titubans, Nuntius mendax primariæ personæ, ceteros Actores obscurant. plauditur comicè. Sapienter dicta Tragœdi prætervolant. Totius Tragœdiæ ad affectum concitandum ingeniosa Inventio, dispositaq; scenæ, sine monstris subsidunt. si Medea exhibenda est; sanguine theatrum cruentet, necesse est; vivis infantibus ante ora Spectatorum laceratis. quidquid reclamet Horatius, cum Euripide, Empedocle, & Sophocle. Vidimus busta: surrexit incendium. tonuerunt fabrefactæ nubes, audivimus fragorem, & sonitus irati Iovis. volârunt ignei alipedes. Neptunus inter septem Phocas tridentem septies movit. Tum enimverò Pluto quatuor equis, flammas vomentibus, invectus, totam litem diremit. ingens Choragi ingenium! iste Musis operatur; olim haut dubiè miranda quædam edet in lucem. ita pyrausta & Poëta, unum, idémque nomen, & decus obtinent. Quod stupeas, sæpe magni Viri, &, qui docti videri vo-

ri volunt, his sumptuosis, & illustribus nugis (*quæ valdius oblectant populum*) capti, domum revertuntur. Spectavimus, inquiunt, mirabilia, & *Docta*: ignari, Agyrtam, an Poëtam spectaverint.

De Arte Poët.

*Ficta voluptatis causâ, sint proxima veris.*
*Nec quodcumque volet, poscat sibi fabula credi.*

Alibi dixerat: *Ridentem dicere verû, quid vetat?* Rectè. lepôres, & Apologos commendaverat. Quisquis à Musis delectamenta sequestrat; aceto submersus intereat. Videbis tu tamen multos, familiare colloquium obvijs hilarare facetijs, atque fabellis; quippe comes, urbani, eutrapelici audire gestientes. eosdem, cùm festivum Poëma pangendum foret, esse frigidissimos mortalium. imperiti, & insulsi, ad voluptatem nihil aptè fingere queunt. adeò & solertia jocandi, jocique quotidiani dissentiunt.

De Art. Poët.

*Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,*
*Lectorem delectando, paritérque monendo.*
*Hic meret æra liber Sosijs: hic & mare transit,*
*Et longum noto scriptori prorogat ævum.*

Amœnitatem ingenij à Poëta omnes petunt, & amant, secus: labascit & cupidi-

tas lectoris, & auctoris auctoritas. cui bono Poema hirtum, hispidum, asperum, insulsum, morosum, strigosum, re, verbísque, ac sententijs inamabile? Ex decoro grave, festivum, ac molle, hæc præsertim tempora amant. quod lectum delectet, delectando moneat, monendo moveat, movendo cupiditatem lectoris magìs accendat. Poëta cantor est. nihil autem inficetius Phonasco; qui artificiosè (ut ipse quidem putat; ut alij, fastidiosè:) corvinâ magìs, quàm cygneâ vocum intemperie, per immaniter longos gutturis tractus, contra aurium judicium pugnat. nempe profitetur artem! nempe ego illam curem; quæ tympano sensûs horrorem, dentibus stridorem, animo tœdium inducit.

*Ridetur, chordâ qui semper oberrat eâdem.*

Sed quid, si non nisi unam didicerit ferire! Non cujusvis est Symphoniam facere pleno choro: omnes barbiti partes explere. Quidquid in præcordijs hæret, congestúmque est optimi sanguinis, quidam in unicam Declamationem, vel Oden prodigunt: addant decem; exsucci erunt. laurus illorum radice caret, primoribus labris

labris attigere peregrinæ ſcatebræ venam: quæ in proprij nominis fontem, juſtâ poſſeſsione nondum tranſijt. etſi in mortario contundas, nihil extundes aliud, quàm quod audîſti. ſemper eadem redibunt.

*Sic mihi, qui multum ceſſat, fit Chærilus ille.*
*Quem bis, térque bonum cum riſu miror, & idem*
*Indignor.*

Vt vides, non omni laudanti noſtra, ſuperbè credendum eſt. quædam approbatio commendantis in ſpeciem ſpecioſa, nonnunquam velut unguentum, Aegro Recitatori, pro medicina adhibetur; vel ut ſtimulus, & calcar ad pergendum, & meliora tentanda: vel denique, ut Auditor rabie Cantantis fatigatus, congiarium laudis exſpectantem, citiſsimè expediat. Ecce, Horatius aliquem cum riſu miratur, idem tamen tacitè indignans. Quis jam à rigido cachinno ſecurus erit? Vt non metuat Ariſtarchi virgulam cenſorum ludibria? quando jam etiam præconia fallaci palpo ſubſannant. Sæpe ergo illud ejuſdem Horatij, ante ora, oculóſque verſetur, penitùs immo auribus, & memoriæ impreſſum. *Ludere qui neſcit,*

*campestribus abstinet armis : Ne spissæ risum tollant impunè coronæ.* Expende, obsecro: Spissæ, risum, impunè. Secundum hæc cavebis ciconiarum crepitantium rostra. infames digitorum micabunt figuræ. Antè, retróque pinsent, nec bifrons Ianus evadat.

*Idcircóne vager, scribámque licentér? an omnes*
*Visuros peccata putem mea? tutus, & intra*
*Spem veniæ cautus.* De Art. Poët.

Quid juvat sibi theatrum struxisse? intus suis Musis cecinisse? cum illis domesticum fœdus sancire. velis, nolis, foras prodeundum est. in foro, placeas, an displiceas, exaudies, cogêris dicere.

*Vitavi denique culpam;*
*Non laudem merui.* Ibid.

Consonat cum illo, quod in principio posui, non licere Poëtis esse mediocribus. credo, quòd Auditor semper ab ipsis Responsa Deorum exspectet. non creduntur habere commercia cum Superis, nisi mortalem egresi modum, etiam tenuissimam rem nobilitent; & infra plebem sita, supra vulgus ferant. *Vitâsse culpam*, laudi non est. aliquid laudabiliter conatum esse; nondum est admira-

mirationi. addidisse nonnihil miri; nondum nomen explevit. si invidiosum non esset, commonstrare exemplis operosum non foret.

*Sic Animis natum, inventúmque Poëma juvandis,*
*Si paullùm summo discessit, vergit ad imum.*

Terribile pronuntiatum! nam quis arcus non rumpitur, si nullâ intermissione intendatur? Atqui etiam in summis Poëtis advertitur quædam inconstantia mentis, inæquales sunt temporum, affectuum, animorúmque vices; & inde promanans eloquentiæ jam acclivis, jam declivs, varietas. equidem ab egregiè cœptis nunquam remittere, sed ejusdem Epici, Lyricíve Carminis, multóque magis aliquot librorum continuare tenorem; *hic labor, hoc opus est*. De Art. Poët.

*Si quid tamen olim*
*Scripseris, in Mecij descendat Iudicis aures,*
*Et patris, & nostras: nonúmq; prematur in annum,*
*Membranis intus positis, delere licebit,*
*Quod non ediderus, nescit vox missa reverti.*

Aetatem latura, nonum in annum premenda monet, more tunc recepto; si grande opus, dignúmque posteritate susciperet Auctor. Vt malè parta, malè; ita citò parta, citò dilabuntur. sed jam dia lia

petuntur ab ijs, qui Musas servire cogunt turpissimam servitutem. ad nutum cujusque succinctæ stare coguntur: arridère infanti recèns effuso: ejus vagitum sistere; quatere cymbala. Aliàs obnubere sponsam, formæ maculas eluere, subligare flammeum, distinguere attollendas faces. Aliàs Hortum principem in areolas dividere; viventia tondere septa; statuere juxta floridas pyramides Faunos, Vertumnum, Cererem, Liberum, virides Napæas. Aliàs curare cadavera, justa exequialia prosequi, in cenotaphia inanes prodigere ingenij sumptus; splendidè, piéque mentiri. talia exiguntur præproperè. Felicem Statij furorem, ut hæc posset, & vellet; propria voluptas, amicorúmque inunctæ preces adegerunt. Quid facias? canendum est. raptim petita; raptim da, securus famæ. quis talia curat? si non potes figere cupressum; fige taxum. inopiam palmarum pensabit quævis salix. De lauro nil cogites, nil speres.

*Et quodcumq; semel chartis illeverit, omnes*
*Gestiet à furno redeuntes scire, lacúq;,*
*Et pueros, & anus.* Sat. l. 1. Sat. 4.

Quidquid effuderint, projecerintve, æ-

ternâ

ternâ memoriâ dignum putant. obsistas? credet aliquis horum, te laudis æmulum, præripere decus velle: nunc timere, ne alter in æqualitatem nominis succrescat. Ad ultimum, convictus argumentis, ingesto quoque in oculos probro, vocem illius Avari emittet: *Populus me sibilat. ast mihi plaudo ipse domi.* Horat. Hæc dicens sua basiabit encomia: quásque chartas cruciare debuerat, murice tinctas Orchestræ præfiget. Quòd si pium aliquid compofuerit, à profano cultu abhorrens; tantò magìs intumescet: quippe se, suáque pietatis titulo solabitur: specie Religionis exornari, præferríque volet, quasi verò non & in Cœlitibus colendis possimus esse socordes, ac barbari.

Epist. l. 2. Ep. 1.

*Navem agere ignarus navis timet: abrotonum ægro,*
*Non audet, nisi qui didicit, dare. quod Medicorũ est,*
*Promittunt Medici: tractant fabrilia fabri.*
*Scribimus indocti, doctíque Poëmata passim.*

Habes in compendio sparsim dicta. Quot Cæsarei, quot laureati Poëtæ monstrantur, rectiùs carduis, & lappâ coronandi, titulos sine re crepant.

*Multi Thyrsigeri: quotus est ex agmine Bacchus?*
*Multi Laurigeri: quotus est nisi nomine Phœbus!*

Febri-

Febriculosis gratulationibus, & proluvie miserandâ versuum scatent libri: sub finem inficetæ adulationis, Auctoris nomen. H. I. K. pastor ad S. Annam, Poëta Cæs. *Laureatus*, melius poneretur; *Larvatus*. Itaque tu, *Crescenti*, non patieris hoc fermento te corrumpi. Fescennina, præsertim à Veneris flamma fumantia, gnomas vulgi morem, vel stabulum olentes, talibus relinque proferendas. Tu cum principe Poëtarum dicas: *Majus opus moveo*. Cum Cæs. Augusti, & Mecænatis Amico: *Exegi monumentum ære perennius*: cum Sulmonensi Vate: *Iámque opus exegi, quod nec Iovis ira, nec ignes, nec ferrum poterit, nec edax abolere Vetustas*.

Epist. l. 2. Ep. 2.

*Ridentur, mala qui componunt carmina: verùm*
*Gaudent scribentes; & se venerantur, & ultrò,*
*Si taceas, laudant; quidquid scripsere, beati.*

Si deinde primùm voces acclamantium, sæpe plùs justo extollentium accedant, quà vera, quà falsa narrando; magnificè intumescunt: ac vi dulcissimi hujus morbi penè linquuntur animo. Morbi, inquam; nam venenatior bolus non est, quàm fraudulentum præconium: illo

haustos

flatisto, penitúsque in præcordia recepto, immodici æstimatores sui, ita sibi satisfaciunt, ut semper faciant satis. intractabilem animum etiam amicis monitoribus præbebunt, ut, si saxa spuant, loquantur silices; gemmarum loco ducant. Summa intemperies, sed suavis. si revoces à delirijs, sentiántque errorem, dicent, quod ille ingesto hellebóro curatus, quum ad se rediret: *Pol me occidistis amici.* Cur excitâstis à veterno? mente captus nesciebam ærumnas meas:

*At, qui legitimum cupiet fecisse Poëma,*
*Cum tabulis animum Censoris sumet honesti.*
*Audebit, quacumque parum splendoris habebunt,*
*Et sine pondere erunt, & honore indigna feruntur,*
*Verba movere loco, quamvis invita recedant.*

Sapientiùs utique, verax, & artis callens Criticus, honori nostro prospecturus, etiam Attico talento emetur: rogabitur, ut serius esse velit, ac quàm minimùm parcere. Si rogatus dixerit: *Sæpe stylum vertas, iterum, quæ digna legi sint, Scripturus; neque, te ut miretur turba, labores, Contentus paucis Lectoribus: an tua demens Vilibus in ludis dictari carmina malis.* Satyr. l. 1. Sat. 10. Tali crede vel non juranti. Tuam famam, gloriámque cordi habet;

invi-

invitato eo ad convivium, adlecto inter primæ admissionis amicos, decorè feceris. Nullo simili reperto, eja, túte Critici personam indue. Succensere tibi, & reconciliari potes.

*Nunc satis est dixisse: Ego mira Poëmata pango.*
*Occupet extremum scabies; mihi turpe relinqui est;*
*Et quod non didici, sanè nescire fateri.*

Talis, non exspectato Flamine, sibi Aram struit, sibi sacrificat, sibi tus adolet. simul idolum, & popa. Ac si quis sibi dicat: *tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem & metis.* Omnino, quisquis es, philautiâ capte; aras fundum arenosum; occas glebam infrugiferam; feris stultitiam: metes ignominiam. ubi sunt mira Poëmata, quæ pangis? Simioli affabilis affaniæ Apulejanæ. *ludo in affanijs.* Epist. l. 2. Ep. 2.

*Paupertas impulit audax,*
*Vt versus facerem. sed, quod non desit, habentem;*
*Quæ poterunt unquam satis expurgare cicutæ,*
*Ni meliùs dormire putem, quàm scribere versus?*

Subscribo. Si, qui sui juris est, & opulentus, versúsque factitet, non cogente naturâ, non suadente penuriâ; sed opinione sui deceptus, & præposterâ cupiditate mordendi qualemcumque laurum, veluti feminæ picâ laborantes: eáque pro-

pter laborioso stylo jam lenonibus serviat, jam vespillonibus: mox *segmentatis ubi dormit parvula cunis*, somnum conciliet: aut si quod generosum pus, inciso brachio exit; phlebotomiã faciat mendacijs splendescere. Hunc enim verò cum vivo Marsya laniato, jubeam postibus Cyrrhæ suffigi. quæ enim necessitas coëgit sponte insanire? Cur famelicis ingenijs pabulum præripit. Epist. l. 1. Ep. 4.

*Fecundi calices quem non fecere disertum;*
*Contracta quem non in paupertate solutum!*

Quid dissimulamus? Fabula est Pegasus, & fons ictu pedis excitatus. Divinus humor ex vite, non ex ungue, fluit. excitat vinum spiritus, tunc liberiùs meantes, cùm in venis geminavit calorem. Sed an Vates, non nisi potus? Nempe sicut Bessus miles, qui Alexandrum M. non nisi super mensa debellavit. nimis sicca ingenij vena est, quæ irriguo Bacchi semper indiget. Epist. l. 1. Ep. 19.

*Nulla placere diu, nec vivere carmina possunt,*
*Quæ scribuntur aquæ potoribus.*

Stat Oraculum immobile. Contra hoc euntem, vel disputantem, Academicis fustibus Aristotelicè agendum est. Tam n

& Cy-

& Cygni, inquies, Poëtarum famosissimæ aves in aqua degunt. ideo non nisi morientes cantant. *Si post fata venit gloria, non propero.*

*Vina ferè dulces oluerunt manè Camænæ.*

Cur manè? Horatio quæcumque sitis diem, & cadum aperuit: idem illi fons lucis, & laticis è cœlo. *Siccis omni dura Deus proposuit.* inquit alibi. Confirmat Iuvenalis: *Satur est, cùm clamat Horatius, ohe!* Itaque, qui necessitatem scribendi carminis alteri infert, additâ sitientis abstinentiæ lege: hunc ipsum ego dignum censeam, qui vitibus lupulisque proximè admotus, pœnas Tantali renovet: immo in culeum insutus super stagnum Caballinum projiciatur: ut inter aquas degat, nec tamen etiam has bibat.

*Ennius ipse pater, nunquam nisi potus ad arma*
*Prosiluit dicenda. forum, putealq; Libonis*
*Mandabo siccis: adimam cantare severis.*

Decisa lis est, Flacco Iudice. *Nunc est bibendum: nunc pede libero pulsanda tellus.* Ennius ipse bibit quid igitur? Vt bellâ famâ constant, sic carmina vino! Neutiquam. Quidam ex Hippocrene bibunt; sicut canes è Nilo: ex Bacchi dolio, sicut A-

fri:

stri serpentes ex fluvio. Ceterùm multi, licèt musto, temeto, zytho obruas, manebunt pumices. Cor non saliet, Vena non fluet nihil ex ebriosa premes spongia præter vappam inconditorum versuum. tales erunt Pegasi ad pabulum, asini ad lyram. De Art. Poët.

*Qui studet optatam cursu contingere metam,*
*Multa tulit, fecítque puer, sudavit, & alsit.*
*Abstinuit Venere, & vino, qui Pythia cantat*
*Tibicen: didicit priùs, extimuítq; magistrum.*

Labor commendatur, & sub perito Magistro constantia, jam se sudâsse putant, si desultorio gradu Heliconis proscenia ludibundi percurrerint, unum, alterúmve Poëtam salutârunt à limine, bis, térve ex pulpito declamatum est. Aliquot acutè dictis distrinxere aures; Dramatijs generis Epicœni, oculos: omnia promiscuè adhibentes. quippe in Comicis Tragicè, in Tragicis Comicè versari soliti, Tragelaphos, seu Hircocervos, ne monstra spectaculo desint, venantur. illorum hinc tota Poësis pendet. Vah! Sat. l. 2. Sat. 3.

*Vitanda est improba Syren*
*Desidia: aut quidquid vitâ meliore parâsti,*
*Ponendum æquo animo.*

Audis iteratò: Desidiam vitandam esse: diu, noctúque operi insistendum. Hinc

manavit illud Ciceronianum *Elucubrare*: Aliquid ad nocturnum lumen conficere. Non es ferventioris, aut felicioris ingenij Papinio Statio, exclamante tamen palàm: *O mihi bissenos multùm vigilata per annos Thebai.* Tibi dormienti, sive oscitanti excident oracula in pelvim! somniare in bicipiti Parnasso, est cū Persio, *vigilare*, qui Poëta, non immeritò creditur, omnia sua noctu composuisse: quippe fumosa, & luce carentia. Sat. l. 1. Sat. 4.

*Garrulus, atque piger scribendi ferre laborem,*
*Scribendi rectè: nam ut multum, nil moror.*

Advertis, *Crescenti*, Rectè scribendi studium, laborem dici. Atqui Iuvenes nostri, voluptatis gratiâ captandæ calamum scindunt, tum desides inflant eumdem, quo scribunt. Non audent fortiter imperare sibi, ut sint strenui: magnis promissis, magnáque exspectatione modicè contenti, laudem ex pigritia quærunt: nonnunquam & commodum experiuntur. Atqui, *Carmina secessum scribentis, & otia quærunt.* Sanè Retine vocabula, & accipe sensum. Secessus Poëtarum, vocatur tranquilla libertas animi; Otium, studium nullâ ingrati laboris acerbitate

ktitate corruptum: Ejus somnia sunt doctæ excubiæ; impetus, vehemens industria; furor, agilitas mentis. De Art. Poët.

*Quinctilio si quid recitares, corrige, sodes,*
*Hoc, ajebat, & hoc. meliùs te posse negares,*
*Bis, terque expertum frustra; delere jubebat,*
*Et malè tornatos incudi reddere versus.*
*Si defendere delictum, quàm vertere malles;*
*Nullum ultrà verbum, aut operam sumebat inanem:*
*Quin sine rivali, téque, & tua solus amares.*

Quinctilius iste, omni honore dignissimus erat, simplex veritatis assertor. *Hoc, ajebat, & hoc*, plena quidem calamis theca. Sed, *Estne aliquid, quò tendis, & in quo dirigis arcum?* Poëta figuli officium quodammodo occupat, vasorum æquè, & imaginum artifex; monendus quandoque, ne à proposito aberret, massámque corrumpat; Alioqui inclamabitur: *Amphora cœpit Institui: currente rotâ, cur urceus exit?* promiserat Vates Cothurnum: inducit Soccos. Expectabamus Odas: missi sunt hymni, minimè Pindarici. interrogavimus de cæpis: respondit allia.

*Vir bonus, & prudens versus reprehendit inertes:*
*Culpabit duros: incomtis allinet atrum*
*Transverso calamo signum: ambitiosa recidet*
*Ornamenta: parum claris lucem dare coget.*
*Arguet ambiguè dictum: mutanda notabit:*
*Fiet Aristarchus; nec dicet, cur ego amicum*

*Offendam in nugis. hæ nugæ seria ducent*
*In mala, derisum semel, exceptúmq; sinistrè.*

Quippe ni? præcoces fructus non durant. Nactus Iuvenis delicatus Adulatorem, sive Sycophantam, nihil audiet eorum, quæ Horat. audiri vult, Criticè, & Stoicè. Sed: *certè egregiè. pulcra Declamatio. Iste puer non illepidos finxit vultus. Alter quoque pusio, flore verecundiæ commendabilis, quàm gratiosè oculis nostris illuxit!* Hæc ille, tam callidus censor, quàm crepida penicilli. Interea alterius surgunt animi: fluctuat fastus: procellæ verberant pectus. Simul detumuit tempestas assentatoria; naufraga Poësis illisa in scopulos, vellit herbas, esurit: hæc sunt seria mala.

*Vt mala quem scabies, aut morbus regius urget,*
*Aut fanaticus error, & iracunda Diana:*
*Vesanum tetigisse timent, fugiúntq; Poëtam.*

Quis talem non vitet? iracunda Diana Actæonem in canes misit, cervo mutatum. quasi verò irata Pallas aliquem odiosum non possit commutare in asinum: ut æquè *Det spatium collo, summásque cacuminet aures.* Importunus Recitator, plagâ Gentis Cadmææ tenetur, vel tenet. Obsecro: num sapit jam aureus sibi visus Mida, mox acutus. Atqui talis exporrigit

rigit inscius aures pyramidales. *Nam Indoctum, doctúmque fugat Recitator acerbus. Quem verò arripuit, tenet, occiditque legendo.* & Horat. de Art. Poët.

*Tu nihil invitâ dices faciésve Minervâ.*

Sed illa te invito minus. Cum hiscente hiscet: cessante te, & ipsa cessabit. manum exserenti commodabit adjutrices manus: imitaturo Demosthenem, subministrabit oleum. Accuso ignaviam implorantium præcepta; querentium sibi deesse subsidia, cùm circumfluant. *Quid statis otiosi?* incumbite in libros, non proni, sed recti; non cubito, sed capite; sic quidem, ut supinum instantes excubias continuet. defraudentur somni; relegantur oracula, mandentur memoriæ: quotidianæ exercitationes se trudant. tunc intelligam primùm, quid talibus auspicijs Posteritati promittere possitis. Nunc videas, inertes stare ad marginem Castalij fontis; *exspectare motum aquæ*, nescio, in cujus paralytici gratiam, ab incognitæ lucis Angelo commovendæ. Cur non etiam supplices, *sed manibus post terga revinctis*, (quandoquidem operari nolunt) exspe-

ctant sonum spiritûs vehementis, ab æthere Heliconio, ruituri in animos patientes alieni laboris! Notum illud: *Est Deus in nobis*. &: *Spiritus ætheriis*.

Et Horat. Epist. l. 1. ep. 3.

*Quòd si, Frigida curarum fomenta relinquere posses.*
*Quò te cœlestis sapientia duceret, ires.*

*Hinc illæ lacrymæ!* Multi omnia alia agunt, quàm agenda. permiscentur tempora, & studia, sine ordine, & modo. referuntur pleraque ad voluptatis gustum: quâ modicè delibatâ, deseritur totus apparatus. succedunt inutiles curæ, quibus incuriosè vagæ Animulæ distrahuntur. flagrant cupiditate videndarum rerum extra conspectum jacentium: Novarum urit sitis. anguntur desiderijs, quæ ignari alunt. ita fluctuantibus obrepit languor: terror quoque, quoties ostensi Montis apices, semitásque petrosas intuentur! Epist. l. 2. ep. 1.

*Interdum vulgus rectum videt: est, ubi peccat;*
*Si Veteres ita miratur, laudátq; Poëtas,*
*Vt nihil anteferat, nihil illis comparet; errat.*

Hîc tandem se aperiunt Horatiani soles. Prærogativa non solùm Veterum, & Romanorum, & Augustæorum fuit, bene scribere vorsâ, prosâque: & novis Ingenijs

nijs patet campus. quod manifestissimum, nostro ævo, fecit Io.Barclajus, *Romam Romano qui docet ore loqui.* Quid illi deest, nisi ætas comparata? immo quid illi non adest, nisi comparanda? Ejus Argenis, etiam provocare potest. Si nihil ex æquo dissimulare volumus, multos vicit. quo stimulo Iuventus usa, quid obstat, quò minùs ad eadem se extendat.

Sat. l. 1. Sat. 10.

*Si foret hoc nostrum fato dilatus in ævum;*
*Detereret sibi multa: recideret omne, quod ultra*
*Perfectum traheretur; & in versu faciendo*
*Sæpe caput scaberet, vivos & roderet ungues.*

Altiùs memini annotatum, nos multa Veterum monumenta mirari, qui in hæc regressi tempora fortasse mirarentur & nostra. Nunquam tam malè cum rebus humanis agitur, ut omnium felicitatum cumulus, in unum, alterúmve seculum stipetur, cunctis sequentibus præteritis, vocetur à Priscis aureum, Argenteúmve Eloquentiæ Seculum: nostrum ferreum. Numina non mutant rerum naturas. potest hodiéque, ex vena, stricturísq; ingeniorum, nobilius metallum protrudi. proinde nepotibus non desperandum est, sed ex Choro Laconico iterandum: *Quod*

*ſumus, fuiſtis. Quod eſtis, erimus.* Horatius antecedentes ſe correcturus erat: num ſtatim & ſubſequentes omnino omnes? ſemper quædam, temporum decurſu, digniùs maturantur. *Et honos erit huic quoque pomo,* inquiebat ille Mantuanus Paſtor. Qui labori non parcit, idem repetat. Sint antiquitatis mala punica, Cydonia, aurea: *& honos erit huic quoque pomo*; quo tamen nullam Cydippen, Ovidiani Acontij more, deludam.

Epiſt. l. 1. ep. 1.

*Nemo adeò ferus eſt, ut non miteſcere poſſit,*
*Si modò culturæ patientem commodet aurem.*

Præmoneo: nec culturam, nec exercitationem ad ætatis extrema differat. Poëſis calore fovetur. Hyeme nil creſcit. quid ſterilis ſenectus, præter pauca fortaſsis Epitaphia proferret? Canis capitibus *Cùm nix alta jacet; glaciem cum flumina trudunt* (permitte huc illud Maronianum applicari) intra venarum ripas, pigri cruoris coagulum; marcent, vel jam diffugerunt negotioſi ſpiritus. quid igitur dignum fatidico pectore, frigidus Chremes eluctabitur! Vt meritò in Lyr. noſtris l. 1, Od. 4. Seni cantum diſſuaſerimus. fruſtra Helleniſmos citabit, quos olim uſurpave-

paverat : frustra elegantias Athenarum : quando jam madentis infantia nasi rediјt, reliquias Græciæ decedentis signans: *Omega cū Iota subscripto*, hoc est, stilla pendens ex naribus, admonet totā priorē sagacitatē esse emunctam. De Art. Poët.

*Format enim natura prius nos intus ad omnem*
*Fortunarum habitum: juvat, aut impellit ad iram,*
*Aut ad humum mœrore gravi deducit, & angit;*
*Post effert animi motus interprete linguâ.*

Naturæ, propter ejusdem conditorem, plurimum tribuimus. Ceterùm *nascantur Poëtæ*, *an fiant*, quamquam & Horatius sententiam suam dixit, nos quoque Quæstionem in hac ipsa Parænesi decidimus, paullò prolixiùs num. 24.

Illud fortasse tibi restat inquirendum, cupienti scire, quæ habitudo Corporis, ex quatuor Humorum genitali permistione, Prædominantis sortita nomen, ac vires, Philosophicæ, atque Poëticæ facultati sit magis idonea. Nulla non ad sanctimoniā cœlestis vitæ pertingere potest: à Phœbi Aris aliquam arcebimus! Sed quid communiter fiat, rogas? Dicam, quod sentio.

*Phlegmaticos* toto absistere luco jubeo. rarissimè vittas, laurúmque contingunt.

Non innatat pituitæ ætherius calor, opifex magnarum rerum. ut proinde desperata habeatur in excellentibus literis horum gloria.

Sed enim *Sanguinei*, quorum juvenis copia sanguinis juveniliter, & exsultim vibrat; gratâ, amœnáque temperiè fruuntur. percurrit faciem ingenuus rubor, specioso illectu; malæ florentes. oculorum fulgor jam pudibundus, mox volubilis. ipsi verò toti sociabiles, jucundi, alacres, faceti in lætitiam, & carmina sediffundunt. sed non diu durant. nihil arduum, perenne, laboriosum moliuntur. Quædam ingenia semper scintillant: nunquam micant constanti luce. Quod delectat, carptim diripiunt, Poëmati operoso minimè suffecturi. unum, alterúmve epithalamium, molles aliquot elegias; Monostieha partim arguta, partim obtusa; aliáque erotica amicis dividunt: quomodo in nuptijs Thalassius nuces spargit.

*Cholericorum* alius genius, diversus habitus. Animosi sunt, ac celeres; quippe præfervidi nativo calore: qui tamen, nisi benignâ irrigatione mitigetur, torrentior

urit

urit viſcera, inducit exſuccam gracilitatem: faciem reddit gilvam: lumina magna, ac ſub fronte plerumque recondita, errantibus flammis exaſperat. capiti minatur procellas, & turbines. Horum aliquis maxima audebit, præſumétque. quæ tamen velociſsimè aſſequi, & ſubigere non valebit: omittet etiam in medio curſu: quia œſtrum repentè deſierit. fatiſcunt ardentium laſſæ vires, ſicut modicum aquæ videmus incenſæ tegulæ affuſum momento in fumum diſsipari.

Optimum fuerit, ſi utrumque humorem, rubrum, & flavum, ſanguineum, & biliosum, ſinu ſuo *Melancholia* recipiat. Non illam intelligas velim, quæ Divis, hominibúſque odioſa, ſpeciem morbi præbet, & quandoque *mortem operatur*: ultima Naturæ deficientis ſedes, & fæx. hominem omnium amœnitatum vitali guſtu privat, bonæq; mentis exſortem, in teterrimam ſui ſolitudinem relegat: non rarò, ut dixi, illætabilis, & lethi cauſſa; maniæ periculum ſecum trahens. ab atra bile accenditur, ferali buſto in ſontem fumum deſinente: quo deinde, velut ſpiſſis nubibus, obductum caput, nullo un-

quam ſerenatur tempore. Signa ſunt, continua tempeſtas animi, ſemper decumanos fluctus metuentis: frons in mœrorem crudiſsimum contumax: color à plaga cœli, in qua degit, nimiùm quantum divertens: puta, in frigida nigrior, & Memnonio ſuppar; contrà ſub Zona torrida ruffus. præterea vultus magnam partem ſideratus; *Vixque tenens lacrymas, quòd nil lacrymabile cernat.* Aut nullus, aut Sardonicus riſus, ipsâ oris diductione præſentes affligens. Cùm gaudere volunt; lucent inſtar Cometæ: cùm florere; florent, ſicut *folijs oleaſter amarus.* Intus autem Caci ſpelunca. omnis generis fuliginoſæ ſuſpiciones, velut ſemeſa fruſta in cerebro, & verò etiam de cerebro jacent. vivitur in tali hoſpitio ex cœnomyia; muſcis prægrandibus: volant, revolántque cæſim, ac punctim ferientes. Pectus fit denique Pelopeja Culina, Ahenum Atrei: in quo ſanguis etiam fraternus coqui poſsit. Quis non exclamet? *Dij talem terris avertite peſtem!*

Eſt & altera Melancholiæ ſpecies, haut paullò melior; depreſsi tamen & ipſa, limosíque humoris, infra ceteros, reſta-

gnatiò,

gnatio. Absque lue, naturali situ; & modo, citra noxiam intemperiem substernitur. neque circa horrendorum phantasmatum examen occupata est; sed mœrore pascitur subridente. non audax, non dissolutè hilaris, non lasciva, non adulatoriè blanda, non desperatè silens, non cum insano fremitu erumpens, suo succo vivit; nullius indiga, nullius contemptrix. Ad aulam non nata, nec Aulæ fugiens, nec appetens, diem die trudit. casam, & palatium juxtà habet. hæc sibi scenam facere novit: intérque nimbos, lucidâ caligine radiat. Hanc Melancholiam ajunt, celebris Eutrapeliæ Matrem esse. quis crederet? nisi, quia à Filia, lætísque Sororibus Gratijs non abludit, servire tamen nescia suam voluntatem, suæ libertatis decretum pro imperio jocandi exspectat. Quo more, facetiarum, lepôrúmque, ac gravissimorum Poëmatum, nec non omnium scientiarum parens, & altrix dici meruit. Ne vigor exsultans sanguinis, in eóque latentium spirituum in auras, per mera gaudia, diffletur, cavet; cholerámque suasmet vires depascentem temperat. nego-

tiosas autem mentis imagines, magnorum operum effectrices, suscipit tenaci humore, viscosóque complexu fovet, macerat, excoquit; demum pulcerrimè elaboratas auctori, qui transmiserat, in tempore remittit: unde Poëma conficitur; quale nec solo sanguine luxurians, nec acerrimâ inflammatus irâ, unquam in medium dabit. Haut absimili Melancholiâ præditum fuisse accepimus Angelinum Gazæum, ipsissimum Auctorem Piorum Hilarium: ut publicæ professionis titulum statim intelligas. idem morosus, ac lætus; dulcis, & acidus; facundus, & taciturnus; comis, & acer; jucundus, & torvus fuit. ita perhibent viri fide dignissimi. Gustatis ejus salibus, dicendum est aliquid Samsonicum. *De torvo exijt Hilaritas, & de amaro egressa est dulcedo.*

Tales, Orbe toto, plures maximi Nominis viros, plerosque Philosophos, ac Poëtas, cum temperamento Melancholico torvos fuisse contendo: hodiéque vix alios reperiri. In hunc finem integra Parænesis proponitur, *Vultuosæ Torvitatis Encomium*, Iuventuti ad ardua tendenti, festivè insinuans,

Ad

Ad militiamne respexi quidem. Quis enim dubitet inter præcipua bellatoris ornamenta, si quidem ab externa specie corporis sumuntur, esse masculam Torvitatem, *naré sque pilosas*, *Et formidandum laxata in casside vultum*. Quisquis molliorem in illo venustatem requirit; dignus est Narcissi formâ, & fato plecti.

*Torva viri facies, torvus in ore decor.*

Innumeris Ducibus, quos nominare possem, prætermissis; Ovidianus Ajax

*Sigeia torvo*
*Littora respexit, classémque in littore, vultu.*

Si Thracia torvitas Militibus non est dedecori, nec Stoica, opinor, Philosophis; nec Delphica Poëtis probro erit. Modò tamen non omnia ad vultum aspectabilem referas; sed multò magis ad internam faciem, rigorémque animi abhorrentis à luxu voluptatum, muliebribus munditijs, effeminatis moribus, enervi mollitudine. Ista præsens Parænesis culpat, cujus Oeconomiam, membratim distinctam, quò sensum meliùs, atque commodiùs assequaris, in fine positam reperies.

Quódsi nihilominus, his perceptis, Argumen-

gumentum Scriptionis nostræ, prorsus heteroclitum videbitur, paradoxum, à communi sensu alienum: laudari torvam faciem! cur non apertam deformitatem! cur non vitia? cur non monstra!

*Talia jactanti stridens Aquilone procella*
*Velum adversa ferit.*

Sed omisso Marone, sic respondeo. Suprà commendavi Novitatem, velut alteram Animam Poëtæ. Disce ergo, *Crescenti*, circa insolens, novúmque Thema facundè versari posse, disce ad paradoxa tamquam ad palum exerceri. disce ludicrâ velitatione proludere majoribus Fastis. disce per umbratica bellorum simulacra, scribendo, ad seria arma, ad Iliacas acies, & Pharsaliam Lucani te præparare.

Requiris stylũ? vergit inSatyricũ. Novũ crimẽ!nova accusatio! semper in Satyras ruere! criminari, convitiorum torrentes infundere! Aut loquitur, aut scribit, aut somniat Satyrica! *ehodum, bone vir, quid ais?* inquit apud Terentium nonnemo. etiam Satyras somnio! ut hoc, atque utinam ex vero possim, concedam. Siquidem Poëtis somniare, in vigiliarum decus computatur: nulla me tibi propte-

rea ſentio verecundiâ obſtrictum. Sed alij conqueruntur. quid curo gemit⁹ turturũ? Cum torvis alitibus mihi negotiũ eſt. albulos columbulos Catulli haut moror. Murmurant alij. ſine, obſecro: murmurent. Clamor Momorum, claſsicum eſt Poëtarum. non moventur iſtis ſonoribus, niſi ad arma, & novas Satyras. Has, ut intelligo, aliqui rudes, & famoſos libellos, eâdem æſtimatione expendunt. digni cenſurâ ſuâ ridiculi cenſores. eſt enim ſive inſcitia, ſive calumnia vulgi, haut vulgaris. Tu, Marcona, ſi ſapis, vitabis hoſce *manifeſtos, Declaratóſque Ignorantes*; quo ſupplicij genere nullum acerbius, atrociúsve, à Franciſci Petrarchæ temporibus, in Parnaſſo ſtatuerunt Docti. Scilicet, Religioſi, iique doctiſsimi Viri, ut Clariſsimos taceam, præcepta tradidiſſent ſcribendi Satyras; ſi exiſtimâſſent, hoc ſcribendi genus, detrimento eſſe bonis moribus, aut njurioſè flagitia proterere. Procul Paſquini, procul Marforij; & quidquid ex indigno famam innocentium lædit.

Non neſcio, multos ſimplices, indoctóſque, vel afflatu Satyrici Nominis offendi,

fendi. cùm auditur, contremiſcunt; ac ſi boa ſerpens, cognatum capiti cymbalum quaſſaret, perterriti ad reptantis Satyræ ſibila. Anguem putas; Anguilla eſt: lubrica elabenti, optima epulanti. Apage diras, & malè feriatas Columnarum Inſcriptiones, in maximis Vrbibus frequentes; & vel Sartoribus, ac Cerdonibus uſitatas. Nihil cum his commune habet, animoſi, robuſtíque Carminis genus, Satyra; ac, quale quidem Iun. Iuvenalis conſectatur, ſi quid experto credis, propiùs ſummo. hinc eſt, quòd poſt Lyrica noſtra, quando & Flaccus Lyricen, per intervalla, ſtylo Lucilij, *circum præcordia luſit*, tantò libentiùs, ut ne dicam, honeſtiùs amplexi ſimus. Quæ enim voluptas in vili humilium metrorum tritura! qualis quotidianis poſtulantium uſibus, & declamatorijs crepundijs impenditur.

An malles, & noſtros Elegos abſolvi? dabitur opera, ſimul deſtinata expedivero, ea quoque de gratia: Ne ſolos ſe Ovidianos putent, qui neque Lyrici, neque Satyrici ſunt. A propoſito non deterret ullus, ævo noſtro, mollium amorum, vel numerorum ſcriptor. Contraria

ria videbor possidere velle; & ima summis, summa imis commiscere, quod in Helicone rarum est.

*Quis prohibet raris nomen inesse meum?*

An unicus Dan. Heinsius, inter ignitos lapides novit ambulare? ego, citra jactantiam, castiores illi gemmas opponam: quæ nihilominus in nova prorsus, quod sciam, teneráque, & ad delectandum in primis apta materia coruscabunt.

Ad Satyram revertor: bonarum mentium tutelam, malarum frenum; amicam Veritatis, scelerum inimicam; assentationis extirpatricem, insontium patronam; Iustitiæ ministram. Hæc amplissimum aperit Eloquentiæ campum, virtutibus aream, ingenijs forum, Religioni templum, Prudentiæ Curiam, probis cœlum, impijs Avernum. Gestientis facundiæ nervis, & arcu freta, blanditur, & tonat; terret, ac mulcet; ferit, & sanat; delectat, & urit. Sed enim sua verba ex macello quoque fertur emere. Qui hoc objiciunt, ansatam phrasin circumagunt, ex Iul. Cæs. Scaligeri, Viri Clariss. libris mutuati. Ita est: etiam ex macello; sed opinor, Romano, in Latino foro. quasi

verò

verò Horatius nesciverit, ubi optima obsonia Rhetorum, Vatúmque compararentur. Et tamen fateri cogimur; multa verba in Satyris usurpare, quæ in Lyricis numquam positurus erat. Ceterùm nulla Musa in Parnasso opulentiùs cœnat, Satyricâ. sint quædam, licèt, fercula ex macello deprompta. inferuntur patinæ plenæ cibis aliquid significantibus. spumant pocula ex meliori Aganippide. Delectatur acidulis, lactucis agrestibus, carne bubulâ, & sarcasmis dulci rore suffusis. boletis item piperatis, & condîtis dicterijs. vescitur sententijs in cerebro Iovis, & Minervæ natis. præter analecta omnium fabularum, suæ condimenta mensæ in promptu habet: concham puri salis, acetum, sinapi, aromata: argutias, festiva dicta, alludentes tropos in nebulis lacteis. Quid multis? alia pleraque Poëmata imputes Iuventæ, ætatis humanæ Veri, velut flores: aut æstati, ut segetes; SATYRA, virilis animi, maturíque Iudicij fructus est, ac vitæ debetur Autumno. quem juvenes optare quidem possunt, non item carpere. Absistant igitur ignavi ad-

vi ad-

vi adversus Satyrographos mutire, ne dum loqui. sæpe meremur id pati, propter quod rei facti sumus.

Vnum non dissimulabo. Molestissimum accidit, Carminis hujus dignitatem, legésque intelligentibus, non licere prosequi: vel religione prohibitis, vel injuriam temporis metuentibus. hinc sanctæ Honestatis oculi, inde peccantium delicatæ aures obstant. Potuit Iuvenalis ævi sui vitia, quantumvis immania, immanitate dicendi æquare: quia potuit per Vrbem stridentia flagitijs plaustra, stridentibus verbis insequi. Gulam, luxum, avaritiem, perjuria, lasciviam, Circensia exagitans, eâ libertate scripsit, quâ liber populus peccavit: vel sic quoque histrionis exsul factus. semper enim Veritas odium parit: formosa mater, deformem filiam. Nostrum seculum eadem scelera, quæ Calvi Neronis, inquinant; si non etiam majora. quis audeat Iuvenalis esse? in apricum proferre occulta? In cassum verò scribere, stulto labore consumi, alterius lateritio favori incumbere, replere archivia, forulos, loculamenta, cistas, saccos; non vacat. nam cui bono

tam

tam malè effusus sudor! posſis laudabilìus quieſcere. Rurſus, in Satyram ruere, Panicis terroribus refertam, culpare nugas, phocis relictis piſcari gobios. eſt enim verò hoc nugari: luctari cum larvis; *ploſtello adjungere mures*; *Ludere par, impar, equitare in arundine longa*: quandoquidem verus Pegaſus ephippium cum tergo negat: Si fas eſſet, nunc quoque, Scapham Scapham nominare, & ficum ficum; oculis portenta, auribus tonitrua ingereremus: Nec inæquale pondus orationi Vett. fortaſſe conſurgeret. A nequitijs facundè expoſitis, Verſus æquè reſonans concuteret auditum; fulgurans perſtringeret viſum. Iam Satyræ nomen uſurpamus, non poteſtatem; umbratici pugiles, nec erubeſcimus confiteri. Et tamen naturalè vinum; tantâ arte non infunditur vitro; quantâ fictum penicillo, allinitur tabulæ. Hactenus cum Medicis feſtivè jocati ſumus: cum Tabacophilis fumosè nugati ſumus. Hac ſcriptione Vultuoſam Torvitatem laudamus; hoc eſt, Philautiam, & Philocaliam plectimus, dignam ſcilicet Satyrâ materiam: monſtra ridendorum facinorum. Quis

Her-

Hercules hæc mactet? mitiga verborum sonum; & penè virtutes erunt.

Sed præstat severiores colentem Musas, esse pudicè inglorium, quàm illicitè disertum. tibi, *Crescenti*, in exemplum: cui si præceptiones Poëticas petenti fecimus satis; bene est. sin minùs: jam nunc edico; Orbilium vulpes fœtentem aversor. urgere porrò cessa, certus repulsæ. ab elephanto stipem petis, & inexorabilem januam pulsas. aliam Laurum, aliam quercum excute. Hoc saltem, istâ quali quali scriptiunculâ, compendij me lucratum esse censebo, quòd Lectoribus abjectiùs supplicare non cogar; fiduciâ caussæ, quam ago: beneficio prærogativæ, quâ fruor. passim, sollicitis præfationibus, implorati Lectores optantur Candidi, mites, benevoli, propitij, amabiles, pij, jucundi: ego peto TORVOS.



Vul-

# Vultuosæ TORVITATIS Encomium.

# PARÆNESIS

*Ad eumdem*

## Pont. Crescentium Marconam.



Elicias juvenum! studiosos, Pontice, formæ, &
Smegmatis Adriaci, speculíq;, ac dentis eburni,
Parnassi sacrum conscendere velle cacumen!
Mox in Aristippi cryptam, ac præcepta relabi,
Zenonisque Scholam magna, & præclara monentis.
Sint procul à nobis culti muliebriter ora.
Forma Sophos neglecta decet, neglecta Poëtas.

I.

Vultus speluncis similes, latebrísque ferarum;
Certè diversos communi à plebe requiro.
Evolve Annales, Romanos consule Fastos
Consulibus scriptos, & Achaica Secula: paucos
Invenies extrà, simul intus & in cute pulcros.
Non habitare solent magna Ingenia in formosis
Aedibus, atque hederam picto figentibus ori.
Merx, quæ vendibilis, signo non indiget herbæ.
Exemplo tibi sit naturæ factus ad unguem
*Diogenes Cynicus.* quidnam sapientius illo
Terra Pelasga tulit, bimarísque incincta Corinthus?
Atqui pædorem canis, illuviémque professus,
Nullis imperijs, nullique obnoxius Aulæ,
Terruit ipsosmet terrenteis; armáque inermis
Stravit, & evertit, vili malè tectus abollâ.

Per

Per plateas gradiens, veluti *latrator Anubis*,
Publica mordaci laceravit crimina risu.
Aspice projecto recubantem in stramine, Sodes,
Magnum habitatorem testæ brevis, & gyrandæ,
Quo sors cumque velit. Solio non sedit in alto
Celsiùs Arsacides Cyrus, nec purpura Crœsi:
Nec post devictum Macedo Babylonius Orbem.
Ejus palliolum, pertusámque undique lænam;
Et peram, & baculum; medióque die laternam
Inquirentem homines, cultrúmque, Scyphúmque, manúmque
Cochlear, oblatæ Persarum præfero gazæ.
Ejus doliolum non æquent omnia Bacchi
Dolia, quæ quondam domitis avexerat Indis.
Quo tamen in Latia nullus fuit Vrbe triumphus
Nobilior. Sexcenta rubro spumantia vino
Plaustra trahebantur: tigridésque ex ordine junctæ
Ducebant prædam ingentem: tum Mænades ante
Silenum, & Satyri pulsantes tympana circum.
Ipse Evan silvas frenatis lyncibus intrans
Inflavit buccas, & Thyrsum sustulit altè.

II.

Iámne vides igitur, quid *Stoicus horror* in ore
Po'sit, & extantes vivo de subere rugæ.
Spectandæ facies, sicut simulacra Deorum,
Quas in adoranda rubigine secula passas
Obsita pulveribus, secretæ noctis in antro
Suspicit, informeis statuas, impensius hospes
Cernuus: atque ipso tremit à squallore columnæ
Jam fractæ, ceráque colit referente juvencum,
Aut speciem vaccæ, aut Pelusiaci crocodili:
Donáque suspendit tacitum testantia numen.
Est, ubi relligio spelæis nixa sub atr's,
Ad temerè structam, vilémque intendi ur aram.
Sæpe minùs colitur conflatus Juppiter auro,
Quàm rudis, & simplex, & ligneus, & malè cultro
Formatus Lycidæ, quem vult donare Menalcæ.
Nunc adeò tetricum caperatâ fronte, putrémque,

Pone senem; cujus facies videatur aratro
Proscissa, inque cavas jam velle dehiscere valles:
In laceris oculi tunicis, stellæque cruenta
In sanie lugubrè pateat: sint torrida labra,
Quanta nec Aethiopis nigri matertera tendit.
His & monstrificum, (strumam) *sensum* adjice *sextum*,
Quod membrum reliquis præfert *celeberrima vallis*:
A potâ quæ crescit aquâ, turgétque crumena
Gutturis adnata: qualis dependet avari
Mentoris ex pingui zona: *justissimus unus*
*Qui fuit in terris, & servantissimus aequi.*
Euclio vix major Dresdæ reperitur, & Vlmæ.
Adjice & hærentis dorso fastigia gibbi.
Talem Diva Themis, talem Sapientia multis
Prætulerit Sponsum, propiora in jura receptum.
*Æsopo* clivus surrexerat, atque *Bianti*,
Quantâ mole parem, vastóque umbone tumentem
Vix Arabum strigosus habet de stirpe camelus.
Númne ideò non magnanimi, summique fuerunt
Clamosos inter proceres, barbásque Lycæi?
Commoditas etiam ista fuit; quòd ad omnia semper
Prælia, si nervo torta argumenta volarent,
Esset ut in promptu paribus succursus ab armis;
Quisque suam tergo portârit bibliothecam;
Vt Parthi celeres armamentaria secum,
Coryton, refugúmque arcum, celerésque Sagittas.
Stet licet incurvus, & sidera fulciat Atlas
(*Axem qui torquet stellis ardentibus aptum*)
*Æsopi* tergum portaret digniùs astra.

III.

Nil igitur fœdum, nisi, quod virtutibus obstat;
Nil pulcrum, nisi, quod vitio adversatur, *Honestum*.
Prodigio par est Sophiæ armillatus amator,
Et tener, & bellus, cincinnatúsque, Spadonis
Ingressus formam: quid enim nisi pejor imago
Restat, & enervi sit inertior Hermaphrodito.
Malis *Thersites* posse intorquere dilemma,
Et vix solvendum Oedipodi proponere nodum;

Quàm

Quàm speciosus *Hylas*, vel *Protesilaus* haberi
Mollis & indoctus, neque bella ad feria natus.
Hic erat Hectoreâ dignus fataliter hastâ
Scilicet occidi! quanto meliore lacerto
Hyppolyte strinxit, Tanaïn egressa, securim!
*Chrysippi* argutum passim laudatur acumen:
Quod tamen à naso, si vera est fama, pependit,
Et stillante quidem. Stylus hic projecerat umbram
Ingentem, dicto festivo caussa futurus.
Usque adeò & nævi prosunt Sapientibus ipsi.

IV.

Progredere, & vigilem jam nunc expende *Cleanthē.*
Ex puteo noctu deduxit aquaticus urnas:
Pro minimo fontis naulo servire paratus.
Tu in pluma stertes, & versicoloribus alis!
*Carneadem* luscum, claustróque expende sepulcri
*Pittacon* egressum: námque illic fata solebat
Discutere, & vivus media cum morte paeisci.
*Democritus* quamvis totus fuit ore cachinnus;
Parte tamen summâ speciem ringentis habebat.
Quem Pandionii latet inclyta fama *Solonis?*
Thebani quem Scita senis, Tabulæque *Cebetis?*
Traditur ad visum deformis uterque fuisse.
Alter dextrum oculum, lævum destruxerat alter.
Contemplator item squallentia *Socratis* ossa:
Nectare qui potuit diram mutare cicutam;
Exilium & sordeis, & probrum detrahere ipsis
Carceribus. templum fuerat, quò lictor abegit.
Atqui hic se croceo perfundi rore putabat;
Cùm *scaphii nimbos* bene loto vertice sensit:
*Xantipphéq;* super portas, illa inclyta Iuno,
Tempestate potens rapida de nube tonaret
Valvarum. fractas quondam dejecit & istas
In caput; & querno lustravit fulmine calvum.
Hoc firmat vireis: hoc dignum numine pectus
Præbet, & arcanis animum cœlestibus infert.

V.

Da nunc *Pythagoram* frugali ventre beatum;

Nullum animal primis contingere dentibus ausum.
At, quia *lente, fabâ, pisis* tantummodo pastus,
Dignum, qui *Piso*, qui *Lentulus*, unus & idem
Cum *Fabio* dicatur homo, triplexque Senator
Vrbis, Roma, tuæ. Sed dic; ex pultibus istis
Aut voluisse putas, Samium aut potuisse Magistrum
Formosum fieri? sese statuebat eremum
Efficere; & cuneis horrentem scindere vultum.
Inque genas, scrobibus factis, inducere fossas.
Vix scires: facies, an abyssus decolor esset.
Tantis distabat spacijs à corpore crasso.
Addita perlucens macies, & cornea fibra:
Attritæque diu radians truculentia formæ.
Ne tamen ignores: hic est ex omnibus ille,
Qui stans in terra, cœlum, convexáque Mundi.
Mente, Deósque adijt: vomuitq; ad sidera cæpas.
Ergo age, si perdix, gallináque nigra feratur,
Aut alba, in patina: (nigram priùs ordine vita.)
Cùm volucres alius, pernásque invaserit, & quæ
Proxima: contemptor potiorem in lance *polentam*
Aggrediare manu. *Sacer est cibus iste Sophorum*;
Pythagorásque facit, vel saltem Pythagoræos.
Fœtent, & ducunt fœtorem talia, dices,
Fercula. pone metus, indignas mitte querelas.
*Hic odor est proprius doctorum*; altásque cathedras,
Pressantum, ac tripodes, famosorúmque virorum.
Sic fragrat nutrita suo Sapientia succo.
Hic fœtor casiam, mihi crede, & cinnama vincit.
*Diogenes* certè nullum spiravit amomum.
Quid potius? cerebrum, an nasus? sapere, an bene olere?
Liberum, olere bene, est: sapere, ac sapuisse, necesse est.
Abrotonum nunquid conditâ melle placentâ
Sanius *Hippocrates* sancit? tamen illud amarum est.
Quondam nec glandes veriti ructare palato,
Aurea fecerunt tam vili secula victu.
Tu, quod alit famam stulto aspernabere fastu!
Aut dubitabis adhuc instratis messe Sabæâ
Funeribus Regum Cynicum præferre cadaver?

Ecquid

VI.

Ecquid *Anaxagoram* memorem primordia rerum
Aëre miscentem confuso, & magnum *Anacharsin*,
Captum utroque genu. Ter centum vendita nummis
Lampas *Epicteti*, quanquam in lodice matellam
Purgantis, servatur adhuc; oleúmque ministrat
Lucenti famæ; quæ sic ardebit in ævum,
Vt nisi cum lapsis non exstinguenda sit astris.
*Stilponem* spernes lippum, similémque molosso?
An *Speusippus* erit propter sua sputa pudori,
Opprobrióve tibi? tamen alta in Cecropis urbe
Ejus honorata est docta, & celeberrima tussis.
Publica (quis credat?) merces admensa catarrho est.
Non *Heracliti* flentis deterreat imber
Continuus: si me doceat plorare, paratum
Virtutis momenta sequi: vel lictor, & infra
Sordidior lixam. Si rectum monstret; adoro.
Tales producit sessores *porticus* alta
Tres cubitos, sex lata pedes, oblonga trecentos.
Quanquam autem obstipos angusto limite sepsit
Parva domus: tamen & gelidum Præneste Neronis,
Et Tybur, Memphínque ipsam transcendit honore
*Hic homines fiunt*, hinc sacra oracula manant.
Appellent alij mandram, stabulúmque caninum;
At tu Delubrum venerabile dixeris esse.
Quale nec in Libya posledit corniger Hammon;
Huic mandræ *Senecam* debes, prô, quanta sonantem!
Ausculta: excusso si fortè rubore salubri
Stoica perstrictam pingant conchylia frontem.
Vera quidem loquitur, sed non & grata prementi
Vellus Amyclæum, spondæ vel in otia merso.

VII.

*Lucili*, vivamus, ait; vivamus, amice.
*Esse* scias multos, non *vivere*. Fata, *fuisse*,
Non, *vixisse*, docent. *functos*, an dixero *fungos*;
Queis per socordem, trepidantia gaudia, luxum
Effluxere dies. Cur vivat Apicius, inter
Ebria continuus lurco convivia, nescit;

Sæpe, quod esuriat, servo veniente, monendus.
Hora quidem Cœnæ: sed nondum viscera totum
Digessere bovem; atque hesterna tomacula restant.
Inquinat horum aliquis sacrum Solis jubar. ut quid
Editus in lucem est! immensa negotia venter
Vnicus indicit, spoliátque elementa colonis,
Civibus, indigenis; vastámque immittit in alvum.
Cùm modicum Natura petat, quàm multa paramus
Objicere invitæ! mihi pransuro neque turdus,
Nec pygargus adest: *Senecam tamen expleo totum.*
Proposui placare famem, stomachíque tumultum,
Non mulcere gulam. *Lucili*; cœna vocetur
Et tibi lauta, *Satis.* ponantur oluscula pauca:
Cum Dijs, lance pari, vives. non discute quadram,
Quid ferat; Odrysij jecur anseris, ánne legumen;
Gobius, an rhombus nigra portetur in olla.
Sufficiant quævis obsonia. villicus Afer,
An, quæ poma dedit, parvo Geta legerit horto,
*Hesperides donâsse putes* Non vult sitis ungi,
Exstingui cupit. hoc præstant non cæcuba tantùm,
Setinæque uvæ; sed quilibet irriguus fons
Egelidi nemoris; scatebræque mamilla benignæ,
De convalle fluens: cujus Mons esse maritus
Possit, & uberibus rivis nutrire jacentem.
O quoties clamo: malesanis parcite votis;
Sæpe exauditi Divis, plectentibus illa.
Hostis non major noster, quàm nostra cupido est.
Sanguis, opes, ætas, tituli, facundia, vires,
Munera Naturæ, sortísque, æqualia non sunt.
Quod beat, æquale est, & prorsus in omnibus unum,
*Virtus*, ac *Ratio*. Quibus hæc concessa, parum sunt;
Plùs quàm avidos totus nunquam satiaverit Hermus.
Influet in fauces Ganges, siccásque relinquet.
*Summa voluptatem, reor, est sprevisse voluptas,*
*Et curare bonum, quod non terit ulla vetustas.*
Convolet ad mappas, festa & Circensia vulgus:
Monstrentur ludi, gladiatorúmque catervæ:
Quadrupedésque feræ bipedum certamina pascant.

Prodeat in scenam Pentheûs: cantetur Agave.
Ipse mihi solus magnum satis Amphitheatrum,
Pompejanus ero: vel, si volo, Cæsarianus:
Optio in arbitrio est. *Cæsar, Pompejus egebant:*
*Nunquam ego.* projeci pridem miserabile votum.
Nimirum sibi quisque suus, Comœdia vitæ
Cùm datur, esse potest certus Spectator, & Actor.
Quam vis personam? Rex, vel dictator in agro,
Prætorque, & Consul, sine fascibus, atque securi:
Plus aliquid dicam: Romanis mœnibus absens,
Et Deus esse potes. (*Deus est, ubicumq; vagaris:*)
Aut miser esse potes. sunt mitia numina Divûm.
Admittunt socios nullo livore notandos.
Non vicos, non prædia habes, non horrea, non rus;
Nec superûm Rector. cupias Iove ditior esse!
Sed nectar potat. dicatur fabula dulcis.
*Ipse sua ambrosia est.* Sapiens sibi quisque potest, quod
Iuppiter esse sibi. viles vilissima fingunt.
Vitam, *Lucili,* pelago ducamus ab alto
In portum; morésque tenax in littore fundet
Anchora compositos: animum pax alta tenebit:
Si placidus nullo curarum fluctuet æstu.
Cùm pectus fastu ventosa superbia pulsat;
Irati surgunt Austri; furit ardor habendi,
Tempestas metuenda subit. Sed collige vela;
Notitiáque tui præter vada cæca vehendus,
Vitatis Brevibus, tibi prima, & proxima rade.
*Nemo ferè non est suus idololatra.* quis non
Assentatorem, mimúmque agit, & parasitum
Nocte, diéque suum? quotus audet dicere verum
Ipse sibi, & speculo convitia reddere viso,
Ante reum, & testem? cùm sese absolvere Iudex
Nec velit, aut possit. contrà nebulonis imago
Stat, stáríque jubet. *non est operosior ullus,*
*Quàm peccare, labor.* virtutis castra secutus,
Otia agit. jucunda quies, delinquere nolle.
Quid tali Fortuna potest irata minari?
*Ignem, & aquam?* vindex contempsit Mutius ignem:

Tranavit Tybrim superato gurgite Cocles.
Fumantis barathri tenebras, calidúmque profundum,
Curtius hoc equitans, tellure hiscente, subivit.
*Carnifices clavos?* dabitur non Regulus unus.
*Exsilium?* patriam mecum, fidósque Penates
Portabo. *Mundi sum civis. Mundus ubiq, est.*
Stem quocumque loco; supra me sidera volvi,
Imparibus gyris, eadem aut majora videbo.
*Invidiam?* dulce est, hoc exspectare superbi
Tormenti genus. infelix, cui nullus in aula
Invidet. ille caret pœnâ formidine gratâ.
Est aliquid, quod & ipse tibi, *mea Cacula*, donem.
Hanc habe, & ostensam digitalem corripe ficum,
Sic se *Democritus* fuit olim fortiter ultus,
Fortunæ monstrans insertum pollicis unguem,
Compressâ serpente manu; fecitque volumen:
Quale facit serpens in se, & sua membra plicatus.
Adjicio laqueum, quo fias altera Arachne.
Huic monstro nunquam, *Lucili*, cedere oportet.
Nec blandum admitto; blandúsque irrideo sævum.
Nulla bonum lædunt contagia: Nec miseret me
Magnanimi, fortisque viri tolerantis iniqua.
Esse nequit, quamvis possit miser esse videri.
Femina mutatur, vulgúsque ignobile: plebis
Scita tamen Sapiens & jure instructus, & usu
Abrogat, & sancit toto contraria cœlo.
Divitiæ in censum veniunt stipis, & paupertas
Regni nomen habet. fallax honor, umbra vocatur.
Mollior affrictus, laudes: & fama sinistra,
Durior ad lævam percussæ sibilus auræ.
Sed neque supremum formides mortis agonem.
Qui doleat fatum, quo fatum spiritus efflat!
Sentirine putas, quod sensum funditus aufert!
Excruciare necem, per quam cruciatus in ægro
Finitur! Mors est tamen ultima linea rerum:
Linea, quâ ductâ, quivis censetur Apelles.
Absolvisse diem. nil vitæ debet, & arti
Amplius. umbrarum votis respondet imago,
Vmbrarũ similis. quid restat? nunquã ego flevi, Quòd

Quòd non semper eram. plorem pueriliter ergo,
Quòd non semper ero! semper jactabor in alto!
Ad me si trepidet Mors invitata venire,
Improvisus ego veniam. Menelaus, an Ajax?
Brutus, an Augustus? possunt prævertere fortes
Tardipedem: ne se credat fera Larva timeri.
*Vsque adeóne mori miserum est?* sola Ardea dicat,
Quique in ea natus ferrum phrygis ore momordit.
Ne *Cato* serviret, rapuit mortem sibi liber.
Non est turpe, mori rapto; sed, vivere rapto.
Vtere, vita data est; cùm restituenda, vocanti
Redde; nec exspecta restim à lictore citandus.
Excubijs fessus pacata cubilia quærit;
Vt carpat placidâ compôstus nocte quietem.
Nil aliud posco. vitæ satur hujus, & ævi
Membra fatigatus sub cespite gestio dudum
Sternere. laxatos dormitans ponit amictus
Ante torum. laceros ego corporis insuper artus
Exuere opto mei. terrestri crassa grabato
Tardant fatalem membrorum pondera somnum.
Miles humi jaceat; medijs cataphractus in armis:
Quippe ligatus adhuc castrensi jure, suíque
Vi sacramenti. bellorum lege soluto
(Bella voco vitæ curas, discrimina, pastum)
*Discingi liceat*; nudúsque intrare paratum
Manibus exemptis lectum, ac libare Soporem.
Hæc mihi debetur merces statione peracta.
Si vixi: quis me fraudabit jure sepulcri?
Otia pugnator posito vetus ense meretur.

VIII.

Hactenus ex latrante Stoa: quam plurimus olim
Impulit Annæus, vir prisci moris, ut ævi.
Talia *Vincesilas* capiet! cui barbula mollis
Inserpit, timido, ne gratia defluat, ori;
Si dulceis malas major corrumperet umbra.
Talia *Mosiphabn* notus sybarita loquetur
Mollior Aurorâ rorante, vel Iridis ore.
Suetus ad argentum formam componere vivum:

*Cunctaq; demirans, quibus est mirabilis ipse.*
Oblitus unguentis, calamistro fictus ad ignem:
Crinibus in nodum tortis, in cornua flexis:
Mæcenas vigilans, sopitus Sardanapalus.
Non bene conveniunt sententia fortis, & aures
Gemmiferæ, nimiúmque levi pugnantia vitæ
Magni verba Senis. contemnit molle Tarentum
Vitibus in medijs, quod sobria Corduba dicit.
At tu, *Crescenti*, si vis assurgere digno
Conatu, fierique capax; fuge pectinis usum
Getuli, ac dentes, quos projiciunt elephanti.
Turbatis assuesce pilis horrescere, Marsi
Instar apri. neque te pudeat rostro esse timendum.
Hic terror decet in sella majore sedentem.
Non mihi displiceant vultus, quos mente feraci
Callotus genitos vivacia fudit in æra;
Omnigeni, varij, referentes mille figuras.
Ex quo, mireris, puteo tot, & æquore formas
Hic Lotharingorum cœlo delapsus, & alter
Phantasus, ac mirus Morpheus, altérque Phobetor
Hauserit; aut quali piscatus traxerit urnâ.

IX.

Sit quasi de cœlo tibi lapsa hæc regula: quantò
Nativa à gleba mentem, limóque tenaci
Altiùs extuleris, contemptor corporis hujus;
Tantò major eris, *Mundiq; capacior hospes.*
Alliciunt Musas frontes in nubila ductæ,
Et camuræ; dignæque viris quærentibus hostem.
Dum caveas illud, ne *circulus aureus insit*
*Naribus*: has poterit, per me licet, *Olpa* sagaces
Tendere vel sursum, vel versùs labra deorsum.
Posse dari doctos non credam rhinocerotes!
Ipse *Plato* latos humeros compactus habebat.
Divino cupias tu pulcrior esse Platone!
Quadratum caput esse potest: tamen ore rotundo
Dicere, quod Grajæ, & Latiæ mirentur Athenæ.
Turpe Sophus, stupor ipse suus, mentúmq; remulcens,
Effictum veluti Pario de marmore signum:
Oscula

Oscula Pygmalion prono cui debeat ore;
Ipse sui stultus simulacri Sponsus, & auctor.
Turpe Sophus stringens modulato compita passu,
Ceu Phrygia mores Corybantum imitatus in Ida.
Vile, pati cultros Phrygios, mediámque per urbem
Molliter eunuchi niveis incedere plantis:
Nec sine odoriferis visendus dactylothecis.

X.

Credis? *Aristotelem*, quoties animalia doctè
Partitus, solerte manu exploravit amussim
Naturæ; membrorum habileis motúsque, sitúsque,
Inter equos cervos, pantheras, atque leones,
In medio tanquam lanium spectare macello
Præcinctum licuit, serrâ, atque securibus usum.
Sordidus effusi rorabat sanguinis imbri.
Quas non ille feras septis inclusit, ut exta
Monstraret, sciretque tomos, artúsque resectos?
Magno operæ pretio. quotus illum æquabit aruspex?
Argumentum ingens, magni miracula Mundi
Sector hic ostendit, constantia mille talentis.

XI.

Observa & *Medicos*. certum est præstare decoro
Distortum, vitiúmque immanius oris habentem.
Tu ne contemnas *Bitiam*, quòd stillet ocellus,
Ridentem ad lectum, sicut Proserpina rapta.
Optimus ex Medicis ægro convitia jactat.
Neu spernas *Marulum*, quòd nata cucurbita partem
Extendat capitis: neu lippum *Bassaretrompam*.
Hic Gallis, Belgísque satus movet omnia fundo.
*Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus:*
Quisquis hic est, meus est. huic me, meáq; omnia credo.
Hos ego prætulerim, quos experientia clarat
Fortibus exemplis, quamvis per singula torvos.
Dummodo felices Parcarum fila retardent:
Ac, si quæ invitæ detrectant jussa medentis;
Ex manibus raptare colum quoque fortiter ausint,
Prostratásque solo validis pulsare lacertis.
Donec promittant resecandæ parcere vitæ.

Hos ego prætulerim. vivat *Marosandola*, vivat.
Lanificas regit ille Deas, verbísque, minísque,
Quondam & verberibus: si jussa capessere segnes
Nequitiâ (dolus, an virtus!) mandata morentur.
Ille trucem Lachesin nuper plorare coëgit
Multiplicans impunè manus: quum stamina vitæ
Nostra minaretur violentâ abrumpere dextrâ.
Cessa, ait: & colapho Medicinæ jura peregit.
Convalui extemplò. vivat *Marosandola*, vivat:
Vtcumque horribili vincat squallore Charontem.

XII.

Quem dabis Astrologum, cujus non vultus abundet,
Si non deficiat? placet immanissimus horum,
Et rigidè absurdus. cui nempe occurrere nolis
Per mediam noctem sphæræ instrumenta ferenti.
Clarior est tristem diffundens ore Cometen:
Qualis erat cœlo sub stante *Copernicus* olim:
(Terra movebatur. torvo hoc innotuit uni.)
Stabat & ipse tuens Solis non mobile corpus.
Vultus erat; qualem timuissent Sidera visa,
Si spectare trucem potuissent. Solus Orion
Dicitur armatus non hunc timuisse Polonum.
Ergo degenerat, cui nulla eclipsis in ore est.
Pulcra Mathematici facies, est nobile monstrum.

XIII

Scilicet antiquis majori ex parte relictis,
Ad superis charos homines, & sanctius ævum,
Vel propiora voles me tempora flectere cursum.
Nulla mora est. paucos tamen omni ex agmine sistam:
Prætereo vivos, & adhuc communibus auris
Vescenteis. Tumbam *Bedæ Venerabilis* intro.
Vt jacet, antè stetit, cœlesti horrore verendus.
*Petri Lombardi* tumulum Sorbona coronet:
Namque alia haut facies tumuli fuit, ac tumulati.
Ad *Scotum* propero. color olli, vel cineri par,
Vel tunicæ agresti, crassáque ex canabe textæ.
Entheus, exesus tamen, & scaber, & macilentus
Præ cunctis retulit Tituli *Subtilis* honorem;

Nul-

Nullius invidiæ stimulis penetrabile nomen,
Cuncta licèt penetrans, & mentis acumine figens.
O si *Durandos* nunc, *Capreolósq;* videres,
Et veterem *Occamum*, spirantes putria navis
Frusta; quasi ex arca cani direpta Noachi!
Hi sunt, post quos non alias sapientia quærat
Naufragij tabulas, firmissima fulcra sophorum.
Nónne recordaris *Lucæ Melitonis*, & *Hispa*?
In cinerem quorum facies subsidere visa est;
Hostili busto, captæque simillima Trojæ.
Rudera dixisses restare novissima vultûs
Humani. atqui hi sunt, qui complent laudibus Orbem.
Quotquot *Complutum*, quotquot *Salamantica* claros
Extulit alma viros, magnæque *Conimbrica* famæ;
Turbavere comas, & despexere figuram.
Ex vultu nôsses Animas sua membra perosas,
Atque aspernantes, crudæ virtutis amore.
Haut aliud *Mendoza*, aliud *Soarêsia* dicet
Gloria, & adversis pugnans *Vasquezius* armis:
Introrsúmque genas ostendens *Lessius* actas.
Vltimus in morbis etiam, cumulóque dolorum
Ferreus extiterit, dubites, an aheneus, ánne
Marmoreus! gemitum stridenti in vulnere pressit.
Quin hilaris potuit vitiati corporis ulcus,
Atque venenatas prurigine radere crustas!
Insuper ardenti renum oppugnatus arenâ
Ferre cruentanteis lapidum intra viscera morsus!
Tam cupidè hæc inter Musis operatus amicis;
Quàm noster Dorylus pernas venatur, Iaccho
Dona Mosellano tua, VVestphale, jungere doctus:
Quámque Taradarus salpas in lacte natanteis;
Ováque cum pullis, & fraga recentia sorbet.

XIV.

Summa: Sophum callosa juvant, asperrima durant,
Efficiúntque virum, dignum Lacedæmone civem,
Poscitur in primis patientia rebus in arctis,
Frigoris, atque æstûs. positus quocumque sub axe
Thulénque, & Meroën ferat, & contemnere discat.

Parcior, & duro porrectus in asserе somnus;
( Ni malit stipulis, aut *pelle Libystidis ursa*: )
Quando fames urget; pultes, coliphia, crambe?
Quando sitis; pallens Cerealis, spuma Falerni,
Nodoso cohibenda vitro, tractimque bibenda.
Aut ex relliquijs Pœnorum poscâ, nivosas
Perruptura alpes, barrisque obstantia saxa.
Mens extra Mundi Zonas, Cancrúmq;, Caprúmq;,
In proprios collecta sinus, in séque reducta,
Tanquam in Mæandrum, vel Cretensem Labyrinthum:
Theseus unde *Theses* miras cum Minotauro
Prodeat ostentans, septemplicibúsque chymæris
Orbem insignitum, cælatúmque anguibus aureis.

XV.

Talibus expensis, *Marcona*, ferociter insta,
Vt meritam possis *Lauro* decerpere *baccam*:
Donec in hirsutum, formidandúmque *Magistrum*
Transeat hæc species: toto jam bardocucullo,
Atque supercilio majore, & epomide dignum.
Cui liceat tonitru quamvis implere proseucham:
Pérque Stagiræos, Academica lustra, recessus
Naturæ secreta loqui: *doctéque beare*.

XVI.

Transeo in Aoniam, & sancti penetralia montis;
Major ubi viridis, ramosáque copia Lauri,
Crinibus effusis, mutata ex virgine crescit.
Fónsque sacer volvit bullas, & inæstuat unda.
Læta loci facies; sed non adeunda paventi
Ardua, & innexos spinis, curísque labores.
Sic primùm statuas: si te fore, *Pontice*, Vatem
Majorem credis, quia sis formosior, erras.
Exterior nil forma juvat, si turpis es intus,
Aut brutus, stupidúsque, atque oblimatus, & exspes.
Sicut nec pravum corpus circumdata vestis
Attalica emendat; nec curvum fascia collum.
Ede:-quis Elei genium, vireisque caballi
Aestimat ex cristis, phalerisque sonantibus auro?
Quis pictam navim, vel carbasa serica mali?
Aut

Aut gladium propter vaginam adamante rigentem.
Corpus iners, Animi rectè vagina vocatur,
Ensis hic. iste potest Pallanti dicere solus:
*Aspice, quàm mage sit nostrum penetrabile telum.*
Theca suum gemmata nequit lucente smaragdo
Tutari dominum. sita vis in acinace tota.
Quin nec Amurathes, aciem, ferrúmque timebat;
*Scanderbege*, tuum; si non manus afforet, imos
In Thracum jugulos plagam ductura profundam.
Num meliùs testudo sonat cupressina buxo?
Aut ductis ebeno clavis, & Iaspide fulgens?
Par ceræ, Tyrio quam Lydia tinxerit ostro,
Pulcrior audierit, non doctior ille Poëta.
Lacteus, idcirco non est *Lactantius* ore,
Eloquióque fluens: sed lacteus; & nihil ultra.
Lumina ego mirer, tenuis quæ palpebra velat!
Glorier à visu, fuerit cùm cæcus Homerus!
Cujus vel tenebræ plus conspexere sagaces,
Quàm Phaëthon totus patrios conjectus in igneis.
Intus mente mica, formosámque instrue flammam;
Illic omnigenos Animæ dispone colores:
E quibus Ingenij vernans splendescat imago.
Interior largo saliat tibi vena meatu.
Sis animo pulcer. nihil uncta siligine prodest,
Malobathróque cutis: nil gemmea sidera frontis,
Puniceæ aut malæ, ceu punica mala, rubentes.

XVII.

Paucis multa loquar. torvum volo, *Pontice*, Vatem,
Torvum concipio. torvus fuit *Ennius* olim:
*Vnus cunctanti Fabio qui restituit rem.*
Torva Attellani *Labeonis*; torva *Lucreti*
Effigies, herbas vultu, referentis amaras:
Quásque Paratonijs radices repperit arvis.
Torvus *Cæcilius*: torvus *Maro*; ruris habens plus,
Quàm nitidæ Romæ: gnarúsque satos colere agros,
Non fuco vultum; pigmentáque condere falsa.
*Torvus* erat, cujus ductu Iocasta marito
Obvia, & in medios fratrum ventura furores,

Egre-

*Egreditur portu. velut antiquissima mater*
*Eumenidum, magna cum majestate malorum.*
*Torvus*, qui Soceri, Generique infanda canebat
*Bella per Aemathios plus quàm Civilia campos.*
*Torvus* & ille fuit Peligni folis alumnus:
Qui tamen infelix torvas vetat esse puellas.
Atque utinam semper tristis, torvúsque fuisset
Et sapiens *Naso*, potiùs, quàm blandus Amator.
*Torvus* erat, cecinit qui: *frontis torva voluptas*
De Stilicone suo: quóque indignante, dolosus
Semivir, Eutropius Consul, *trabeata per Vrbem*
*Ostentatur anus, titulúmq; effeminat anni.*
Quid *Iuvenalis?* iô novies ter torvus, & asper.
*Semper ego auditor tantùm! nunquámne reponam!*
Horridus Eurystheûs, ut nubifer Apenninus,
Et vigil enormes rhonchos proflare solebat.
Lurida spirabant per totum absynthia vultum.

XVIII.

Pierides *Musas* facie florere venustâ,
Purpureísque genis, inter figmenta repone.
Pictorum hic olim mos est, & iniqua potestas,
Vt, quas indocti nunquam videre puellas,
Exornent minio, faciántque nitescere cultu,
Imbelles veluti pupas, & eburnea monstra;
Quorum omnis sit vita chelys, choreæque, chorique;
Et crinalis acus, stactéque, & pyxis, & uber.
Dulce quidem cantant: sed non ut lena Canopi,
Non, ut Sirenes: quas vix effugit Vlysses.
An non & *Sappho* cecinit? cecinisse fatendum est.
Illa tamen multùm fuerat diversa Lacænæ;
Quæ bis digna rapi, Ledæo prodijt ovo.
Non minùs in numerum Musarum Lesbias ista
Posterior nonâ, prior undecimâ, licèt atra,
Valga, pusilla, myops, meruit facunda referri.

XIX.

Quotquot *Mnemnosyne* peperit Iove conjuge Natas;
Spectatum admissi quondam lustravimus omneis,
Sortiti fortunam oculis. in colle sedebant

Her-

Herboſo, noſtróque Novem, totidémque Camœnis
Inſtructæ. liceat mihi viſa, & vera referre.
Nulla micat timidùm, fractúmque, aut mollè renidet.
Crudus in ore decor, neglectu gratior ipſo,
In ſpeciem Dryadum vergens, ſilveſcere viſus.
Armatur terrore pudor; ſexúque ſevero
Ambiguas miſcet facies. flagrantia vibrant
Lumina. ſtant temerè crinalia vertice ſerta.
Nec ſtola, nec manicæ, nec inundans faſcia limbi
Arguerint ſimileis Nymphis, quas anxia centum
Torquet imaginibus quærendi cura decoris.
Ne longo ſermone morer; do Nomina Divûm.
Maſcula *Calliope* bellatur Amazonis inſtar;
Læta audire tubas, fuſcari & pulvere campi.
Nobilis ingreditur *Clio*, nec honoribus impar,
Alterno ſignat glomerata volumina paſſu.
Claudicat *Euterpe*; tantóque frequentiùs apta
Exhilarare jocis, riſum movet omnibus: unde
*Delectantis* habet nomen. *Polyhymnia* prona
Ad rixam, vocale melos miſcere tumultu
Gaudet, & aërios lituis confundere fluctus.
Dat belli ſignum nonnunquam; quale dat, alta
Cùm Norimbergæ *Laurenti Turnus ab arce*
*Extulit, & rauco ſtrepuerunt cantica cornu.*
*Melpomene* Tragicis it formidanda cothurnis:
Haut illi thymus, & panace, ceruſſáque cordi:
Pentheſilea furens nativo vivere ſucco
Aſſuevit, propriiſque bonis; non mercibus emptis.
*Terpſichoren* præter ſaltus, vocêmque canoram
Vix aliæ dotes commendant. Quarta *Thaleja*
Indolis eſt miræ. grato ſquallore ſuperbit
Virgo ferox, animóſque mares ſub pectore geſtat.
Hæc fovet incomptos: macris arridet, & ambit
Frontones. contrà, pingue averſatur omaſum:
Præpingueis fungos, & obeſa abdomina damnat:
Semiviróſque Phryges, comptóſque, viriliter odit.
Me quoque adhuc mallet gracilem magè, ſplendi-
diúſque

Extri-

Extritum, ac tenuem protendere longiùs umbram.
Cùm tamen excelsa capitis procul ægide visi
Sic quoque terga fugæ cogam dare pumiliones,
Auroræ flentis crocea de nube caducos:
Atque sui cubiti nimis, & nimis assis amanteis.
Nil roseum, nil lacteolum ferrugine tincta
Ore refert *Erato*, violísque nigerrima pallet.
Ignescit quandoque, & tanquam lampade flagrat.
Namque adamante suo castos explorat amores.
Hæc igni, ferróque probat terráque, marique
Seston, & ô patriam Leandri audacis Abydon.
*Vrania* monstrat cœlum, & cœlestia signa:
Hæc inter tamen & serpentem, & Scorpion arcu
Brachia curvantem, stellámque Lycaone nixam:
Parrhasiásque Vrsas, insopitúmque Draconem:
Atque oculum Tauri, sidúsque immane jubatum:
Quæque referre mora est, justum incussura timorem.
Magnæ mentis opus rapidum super æthera ferri.
Hoc vetus, & sanctum: *non est via mollis ad astra.*
Non recipit molleis Divûm Rex, non catamitos:
Non ad vibrati crispos cauteria ferri.
Horrendo rari visu, dignique videri
Virtutis studio, torvi luctantur in axem.

XX.

*Palladis* armisonæ qualis præsentia! grandeis
Cæsia per glaucósque oculorum prospicit orbeis.
Cæsariem ferratus apex, cristæque comantes
Terribili fulgore premunt. sublimis in hastam
Surgit, ut & scutum commotis sibilet hydris.
Quis tutò aspexit clypeo Phorcinida fixam,
Saxificos angueis! Atqui formosus *Apollo* est;
Blandus, & auricomus. sed non, cùm Pythia cantat,
Aereáque horrendo mugit cortina recessu.
Aut quoties latè Euboico bacchatus in antro,
Ex adytis responsa tonat, tonat insuper Echo.
Erigitur, meminítque sui: crinésque relictâ
Fronte rigent. simul ara tremit, simul ardua laurus:
Culmináque, & quassæ titubant fundamina rupis.

Tunc

Tunc nemo hunc juvenem simas pavisse capellas
Admeti Regis, jumentáque bucera credat.

XXI.

Cumanæ, viden, ut distorqueat ora *Sibylla*!
Vix affata Phryges communi more; repentè
Concutitur. *Deus, ecce, Deus! cui talia fanti*
*Ante fores, subitò non vultus, non color unus,*
*Non compta mansere coma.* miseranda, mináxque
Virgo reluctatur. *tantò magis ille fatigat*
*Os rabidum, fera corda domans, fingítq; premendo.*
Insidet, & stimulos sub pectore vertit anhelo,
Confundítque genas. jures occidere velle.
Sic rapit attonitam, nullóque, omníque colore
Diversam, lassíque morâ pulmonis hiantem.
Chrysogoni nequeunt tantam perferre Dei vim.

XXII.

Non est lanificum sudor, *sublime Poëma,*
Plebejúsve labor: neque Vatum vitta, caprinâ
Texitur è lana. Saturis bombycibus illam
Non nisi divinæ manus admiranda Minervæ
Conficit, & totam filis subtilibus explet.
Quis metuet Satyram culti, atque nitentis *Ofelli*?
Vtitur astragalis, teneróque est mollior hœdo.
Quam dabit in medium *Schockius*, cui polypus ingens
Auctus vi Lunæ, nasum facit esse trabalem;
Lectorem doctum poscens, armatur echino:
Injiciétque metum, serráque secabit acutâ.
Est aliud, valido Satyram distringere nisu,
Quàm Cajo, & Cosso scabiosum epigramma dicare:
In quo nil præter tria *Cur*, totidem *Quia* cernas:
Sex *ideò*, septem *Quocirca*, quatuor *I nunc*.
I nunc, & pomis imple, nucibúsque quasillum.
I nunc, & caligas scrutare Herodis edaces.
I nunc, & cocco vestitum confer asellum.
I nunc, & teneram Citheræ occide columbam.
Vt delectat eum pygmæi argutia versûs!
Inque fimo malè scintillans scarabæus equino!
Sed pueri tales gemmas mirantur, & aurum.

Vt perstringit eum stillæ glacialis acumen,
Et Tropus in febris quartanæ frigora versus!
Quanquam omni in folio fugitivi frater Iuli
Ambulat, & gremio Phœnissæ illudit amantis,
Vulcanum, matrémque ferens. rotat arma Cupido
Pictus acu rallam fluitantem, & textile velum:
Alipedésque alij suspensi terga pharetris.
*Multa Venus, nulla veneres*, & gratia nulla.
Sed nondum tempus Thymelen damnare Britannam.
Adveniet tandem læsi vindicta Pudoris:
Hastáque Iudicii Cambro figetur Oveno.
Quid? culpo ingenium? minimè! detestor abusum.
Mitior incedat positis nunc Musa sagittis.

XXIII.

Tecum sermo mihi, non cum petulantibus Anglis,
Pontice: Teutonico cui ductus ab ubere sanguis;
Nomina per Thuscos Italûm fluxere canales.
Vatem, non vatis lege vultum, oculósque micanteis.
His excellit *Halys* longè pulcerrimus: omnis
Nævus abest, nævique metus: tum sanguine largo
Luxuriant artus, manifestáque corpore toto
Lætitia arridet. facies spectacula præbet:
Tam bona, tam saturo fulget tumefacta rubore.
Ogygias talem speres exscindere Thebas
Posse solo totas, ductósque Amphione muros.
Surrexisse novus videatur Statius, Argis
Par & Echionijs tubicen cantandus in armis.
Cantandus! votis nequidquam fabula vanis
Respondet. retrò refer in caput Isara lymphas.
Deceptos promissa tenent. *Nihil iste nec ausus,*
*Nec potuit.* quid enim prosit Bœotius aër?
Sed multos perflat tractus Bæotius aër.
At *Capys* exesus, qui jam vix ossibus hæret,
Et pulmonis opem non plenis follibus haurit,
Difficilésque auras tractu lucratur ab imo;
Intonat, & geminæ quatiens fastigia rupis,
Parnassum fumare facit. caligine nubes
Volvitur, & toto resonant certamina monte.

Vnda

Vnda fremit: ſtagnum ſpumis exſultat equinum.
Tunc *Capys* exeſus, qui jam vix oſſibus hæret,
Ignipotens, offert venâ non paupere fuſum;
Sed præ divitijs animi ſaliente, ſuiſque
Inſtructum validè nervis, altéque toroſum
Carmen, & Herculeâ dignum cervice reponi.

XXIV.

Quæſitum eſt; Vates natura crearet, an uſu
Exculti fierent. conjungas rectiùs. Artis
Experts Ingenium ſtolidè bacchabitur. Artem
Ingenij expertem, pertuſam dixeris urnam.
Vt derivârunt in cribrum Belides undas.
Illi deeſt ſtimulus ſacer, ac vis ignea mentis:
Qua ſine conantem fruſtra labor improbus urget,
Siſyphiúſque lapis. nimiâ ambitione coacta,
Aut expreſſa, velut preſſatur oliva trapetis;
Oderunt omnes. Dij deteſtantur, & horrent.
Si parcis limæ; damnabere nare ſupinâ.
Vſque adeò, ut vena, & ſolers *chirurgus* amicè
Conjurant; ita ſedulitas, ac *vena* Poëtæ.
Nil poſſit *Bavio Tigurino* vilius eſſe.
Nitenti ſimilis cervæ, ſua viſcera torquet,
Et variat vultu Ianos, dum carmina pangit.
Cum Phœbi curſu non verſum abſolverit unum.
Putidior *Maracon.* duo millia ſtans pede in uno.
Porricit: à vomitu velut inteſtina laborent.
Nec modus, aut finis. quaſi ningat in aëre floccis,
Sic volitant: ut jure queas facere hos quoque flocci.
Ergo & in hoc puncto *Medium tenuere beati.*
Qui laurum mordere cupit, præmordeat ungueis;
Qui caput incingi ſerto, ſcabat. Vt niteat frons
Emaculata; genas candenteis diluat oſtrum:
Ordine ſtent crines: ut credas legibus actum;
Qualibus uſa fuit Reſpublica Spartanorum:
Quis curet? melior, quem veſtit ſuccida lana;
Cujus inornatæ ventis afflata flagellant
Tempora capronæ, ſetæve ex verre marino.




Cùm

XXV.

Cùm clypeum Aeneæ, fulgentiáque insuper arma
Duceret electro liquido, solidóque orichalco
*Virgilius*, cerebríque sui fabricaret in antro;
Rere comas violis vinctum, Tyrióve rubentem
Murice; ceu Matris, noster *Vitus*, unica proles;
Ante relucentis crystalli panda stetisse
Ostia, & erranteis castigavisse capillos?
Ille, velut Cyclops opera ad fabrilia surgens,
Corpore quam nequijt, vel noluit, (ad quid enim mons
Sulphuris igne tonans!) animo penetravit in Aetnam.
Tunc Vatis caput, Aetna fuit, Liparæa taberna.
Ingenio *duxit folles: stridentia tinxit*
*Aera lacu. fluit æs rivis, auríq; metallum.*
Ictibus ingenij gemuit resonabilis incus.
Ingenio tandem vireis augente poleibat
*Terribilem cristis galeam, flammásque vomentem,*
*Hastámque, & Clypei non enarrabile textum.*
Idem opere exacto fessus consedit in Vrbe,
Ex Sicula fornace redux: ac si ipse fuisset
*Brontésque, Steropésque, & nudus membra Pyracmon,*
*Exercens ferrum, & multa in brachia tollens*
*In numerum, versánsque tenaci forcipe ferrum.*
Tunc primùm ad fratres, Aetnæáq; pocula ventum est.
Gallúmque, Variúmque, & de grege Curepi porcum:
(Mirandum est Flacco tantum indulsisse Thalejam:
Vnus tres poterat ventres æquare Cyclopum.)
Olli inter sese libabant munera Bacchi.
Et meritò. quis enim *siccus* pro carmine sudet?
Malleus interea cum forcipe, (cera, stylúsque)
Emeriti fabri totâ illâ nocte quiêrunt.
*Mox aurora tamen miseris mortalibus almam*
*Extulerat lucem, referens opera, atque labores.*
*Evandrum* atque unà *lux suscitat alma* Maronem;
*Et matutini volucrum sub culmine cantus.*

XXVI.

Aspice *Frigattum* contrà. nam Mantua & istum,
Sed pulcrum genuisse datur; nimiisque superbum

Nam-

Naturæ, formæque bonis, ad Teutona casus
Detulit. ostentans se Vatem, sardonychatâ
Scribere metra manu, & scriptis dare basia fertur:
Iámque opus immenso dignum meditarier ævo.
Aspice consurgens. prægnantem credere possis;
Et jam picâ hominem variari, & poscere cretam.
*Ilias* inclusa est, an *Thebais?* an generosam
Ventre saburrato Vates *Aeneida* portat?
Pythonemne novum de semine sacro Epidauri?
Solve uterum. profer tandem, quodcumque minaris.
Alma fave Lucina: fave pia Ilithyia.
Horrendum visu! geminas Heliconia rupes
Scinditur in partes, scopulóque laborat utroque.
*Parturiunt montes.* partum exspectemus Amici,
Dignum Atlante suo. Quid denique nascitur? exit
De rima cerebri, vertex ubi summus anhelat,
Post timidos nixus exit *passerculus* unus,
(Et sunt, qui jurent unà vidisse palumbes
Egressas: tanto caput hoc discessit hiatu.
Ex avibus totum liceat dignoscere nidum.)
Dilectus Cypridi, jucundi pluma Catulli:
Et tibi, si qua super, lacrymis deflenda caducis
Lesbia: jam Bavaræ potiùs deflenda Teresæ.
Nil aliud? nil hercle aliud. Verona, triumpha,
Si potes. ecce novus passer te vincere gestit.
Vltra Thessaliam fugere hinc libet, atque bimembres
Thessaliæ: Daphne meretrix si facta, pudendo
Nupsit Frigatto, crinémque amplexa coronat.
Ille tamen fruitur Lauro gavisus, & optat
Lucinam similem, laudátque in Conjuge Dotem.
Atqui ego te, dulcis Corydon, post orgia malim
Rustica, inauditum stipulâ disperdere carmen.

XXVII.

Audi aliud. neque enim procul hinc semotus abibo.
Haut multum ascalapho Volucri distabat *Ilerdas*,
Helvetia in media, summísque in rupibus ortus.
*Castricus*, ut pavo distendens sidera caudæ
Iactavit speciem, crines deductus amomo.

Tem-

Tempore Gustavi Sueci Afra Lycatibus arvis
Patriciæ Matrona stolæ, felicibus astris
Augustæ ediderat. nec erat formosior ullus
Hoc puero pavone. oculos dignissimus Argi
Centum ferre unus. poterant duo vincere centum.
Dignior idem inter stellas pincerna locari,
Ac, pulso Ganymede, Iovi diffundere nectar.
Creverat in Clarij submissus Præsidis arcem:
Iussus uterque sibi, patriæ, Musisque vacare.
*Exitus acta probat.* Specie bubonis *Ilerdas*,
Aspectúque suos visus terrere sodales.
Doctior evasit: cantúque haut simplice pictam
Iunonis superavit avem: cessitque poëta
Syrmate depresso longè post terga relictus.
Marsya certando fieret: cùm noctua *Delli*,
In libertatem qui publica traxerat arma,
Provocet ædilem Thebanum, atque Orphea Thracem.

XXVIII.

Audi aliud. redolens octo Cilices, minimùm sex,
Spirat *Sosa* crocum, pretiosóque ulcere rupto
Expressam saniem, & peregrinæ felis odorem.
Sed mures opicos fœtentia carmina produnt.
*Hirtacus* axillis subter graveolentibus hircum
(Eminus advertas etiam) gestare videtur.
Cùm soccos purgat, tunc non tolerabilis ulli.
Non pigra Mæotis, Camarináque, & ima profundi
Tetriùs exhalant ejectamenta Pelori.
Non ideò ipsius non fragrat odora poësis.
Vernat enim, spirátque rosas, sudatáque tura.
Haut aliter, quàm si variorum ex agmine florum,
Laxent Elysij pubentia germina campi.
Naribus hanc Erato sæpe admovet; ictáque Clio
Versibus *Hussardi*. Nam quæ patientia duret?
Aut Recitatorem possit tolerare molestum?
Felices procul absentes, surdique beati.
Sævior est picis clamantibus atque cicadis:
Intolerabilior ranis æstate Suevis.

XXIX.

Quid nocet *Ambrosio Mucconi* absentia formæ?
Turbidus incedit ringentis more molossi.
Quamquam os, & mores ululant; tamen Ecloga balat
Deducens pastoris oves. illa Ecloga balat:
Quæ placuit cantata Duci; retulitque disertas
Conjugis Austriacæ laudeis, inscripta Amaryllis.
Altera nec primæ cedet, cui nomen Alexis.
Quin & ubique placet; seriéque illustris in omni
Obscurat fuscus nitidos, torvúsque venustos.
Tympana pulsa sonant Heroica: dulcè queruntur
Insomnes Elegi: jucunda Phaleucia rident.
Ausus idem *Basilius*, frustra sudavit & alsit
Ausus idem. possis misereri, & dicere, *cessa*.
Alterius tantum novitas, & lucidus ordo,
Et Mens inventrix rerum, juncturáque pollet.
Nuper in Aonia, Phœbo præsente, palæstra
Eminus alternis certatum,& cominus armis;
Spectati pugiles aderant, & tempora vincti.
Primas Mucco tulit: Socij meruere secundas.
Olli cæsariem subijt circumflua laurus.
Si verum excutio, facile est componere versus:
Difficile est libros æquali volvere rhombo,
Qualeis *Pansa* dedit. dum Pansam nomino, nolim
Subjicias animo Narcissum,vel Cyparissum;
Quorum alter seipsum, cervum nimis alter amavit.
*Pansa* vir est, ac penè sui quoque nobilis osor.
Centauro similis, metuas, ne saxa loquatur
Ex Aemi decisa jugis. nil durius illo.
O quantum à vultu divertit Musa canentis!
Fundere mella putes: florentem spargere thymbram.
Candor inæqualeis numeros, & Gratia triplex
Halantes animant. liquido volvuntur in auro,
Heliadúmque madent guttis lucentibus igni.
Formosus *Tryphon* ut semet in omnia vertat
Præsidia, & formas, faciémque ungátque, lavétque?
Atque relambentis sua vellera more Sciuri,
Quà licet assiduus, novies, deciésve repectat:

E Nescit

Nescit, & hoc solum scit, se nescire fatentem.

XXX.

Fingimus hæc? *Pharaël* etiamnum vivit, & extat
Qui quamquam nullo perimet se fonte videndum;
(*Quem neque pastores, neque pasta in monte capella*
*Contigerant, aliúdve pecus: quem nulla volucris,*
*Nec fera turbârit, nec lapsus ab arbore ramus.*)
Est tamen & lato sua vis, & honor suus ori.
Omnibus in silvis, quas explicat, agmine facto
Nidificat Philomela canens, secúmque Sorores
Adducit, Getici jam dudum oblita tyranni.
Tædet enim semper raptum deflere pudorem;
Tereáque æternis dirum incusare querelis.
Narrat Cæciliæ pugnas. Vt Barbara fœdum
Aversata Patrem, cervice exceperit ensem!
Vt gladios, igneisque proci contempserit Agnes!
Thecla feras: animosa boves & Lucia flammas.
Vrsulâ ferratos telorum evicerit imbres.
Tum Glaphyras, Agathásque refert. Ante omnia cœlô.
Ingeminat, partúsque tuos Nasarëia Virgo.
Te quoque Alexandri, Costo fata, regis in urbe
*Eximium, Catharina, decus*; super ardua montis
Culmina, quà cœlum tangit Sinaitica rupes,
Aligerûm Martyr portata curulibus ulnis.
Huc properare rotis stridentibus, Orcale, cessa,
Belle puer: nullis illuc hinnitibus itur.
Frustra urges oleo, vino, sale plaustra gravata:
Automedon non si vel Achillis lora teneres.
Orcale, parce manu: veniet robustior ætas;
Et tunc *Ortygiam, portúsque intrare licebit.*
Interea crudis te fingendum, atque domandum
Trade rudimentis: scuticáque assuesce ferire,
Iumentum propius; meliórque auriga futurus
In tua membra ferox contortis irrue nodis.
Nec cessa, donec sanguis generosus adhæsit.
Hæc via te ducet, quo frustra tendere vanus
Clamor adegisset. tunc illam denique Rupem
Vertice (*Plus ultra*) tanges. *Sic itur ad astra.*

Huc

Huc ducit tranquilla quies, misisque quadrigis
Sella tripes: quam si retines, portabere pennis.

XXXI.

Molliter ingreditur *Glycus*, & crepidatus, & ornat
Vsque suos vultus; seque urit, & uritur idem;
Formosasque sitit laudeis, atque annuit illis:
Et faciem, & crispos speculo vibrante reflexos
Exhibet ipse sibi, magnúsque videtur Apollo.
Sella tori speciem præbet, totóque cubili
Plus quàm mundicies simplex apparet. ubique
Concentus, cultri, calamorum, forficis, horam
Signantis stillæ: nec acus, nec acicula aberrat.
Præterea non est atomorum atrocior hostis.
Pulvere mensa vacat. si quis deprênditur, exsul
Continuò in Pontum, ad libros de Tristibus ire
Mittitur, Euxinam Boreas ut difflet in auram:
Accedunt nitidæ vestes: tum grata loquentis
Simplicitas, permista favo ridentis Amœni;
Et concinnorum suavis symphonia morum.
Et facies dulci pietatis ab iride rorans.
Non hæc idcirco videas urgere Poësin:
Non meliorem Animum, majoráque Numina præstant;
Tamquam extra sphæram longè semota rotandam.
Diversi sunt jura fori. Ruit, ecce, ruendo
Entheus in calamum, ductúsque ferocibus urget
Articulis. Pæan furit intus, & incubat olli.
Magnum opus explendum! clausis meditatur ocellis.
Incipit, & dubitat, scribit, mutátque, probátque:
Ancipitem versat pennam; stringítque, premitque:
Submovet,& reddit. Pax,an fera bella. (*minaq;*
*Murorum ingentes, æquatáque machina cœlo?*)
Quid velit, ignorat: plus ignorare videtur,
Quàm velit, aut possit, quia parva scientia, velle.
Nôsse aveo finem. jam sextus ab æquore Titan
Evolvit currus, iterúmque per æthera duxit.
Quid *Glycus* interea? descripsit. nempe! quadrigam
Myrmecidis tectam muscæ memorabilis alas.
Disticha quina putat posse expugnare Tibullum.

Hæret amans, operísque sui vestigia lambit,
Basiáque affigit. tanta est dulcedo placendi.
Fitque procus muscæ. quid si foret illa columba
Architæ, aut qualem deflevit Stella togatus!
At mihi non tanti hæc, sublato ut pollice clamem;
*Eja, euge, bellè.* melius nil vidimus unquam.
Quid magni exspectem crispos ab habente perunctos?
Quíque meras tenero lacrymatur lumine gemmas!

XXXII.

Malo ego crudeleis socios, visúque tremendos:
Quales *Hupsiades Gluckersius*, & *Didymaon*
*Westphalus*, & *Clivensis Hegar*, lippúsque *Rabastus*,
Et luscus *Gauron*, capitóque *Telesphorus Haza*:
Sic equidem capito, pars ut sit maxima, collum
Quæ premit, atque humeros: nec differat à bove multū.
Hirti, ac præduri fratres, *capita alta ferentes*,
*Fratres Ætnæi*: qui vix se in littore spectent;
Ne dum convexos vitri comantur ad orbeis:
Non nisi multifido Polyphæmi pectere rastro
Crinales sueti laqueos. speculi vice, pronos
Pegaseo se in fonte vident, morésque videntum
Discutiunt. sit fas Narcissum imitarier isthic.
Horum introgressus tecta, haut innixa columnis
Maurorum, aut Nomadū; (nugas humilis domus istas
Non capit) indigetum eximias mirabere sordes.
Splendida paupertas: modici tinctura liquoris;
Sepia in alveolo nans, & loliginis atræ
Qualiscumque humor, cum capsa non sine. charta
Privigna, atque rudes phyliræ: duo, vel calami tres,
Ejusdem crenæ; sunt curta, & tota supellex.
Ex tribus his unus plumæ plus rettinet albæ,
Absque ullo fastu; signúmque refertur ad usum.
Associatur hebes, minimúmque novacula scindens.
*Aude hospes contemnere opes, & te quoque dignum*
*Finge* Deos animis patientibus, oro, Poëtis
Ignovisse velis. luxum, & confinia temnunt.
Secum habitant, ubicumq; habitant: gurgustia, Fana;
Aulas, an caulas; in summa Tyburis arce,

Valle

Valle vel Egeriæ, Cumana an rupe, perinde est.
Da veniam, si quid tibi displicet ædibus illis.
Non aliter vivunt subducti pectora mundo;
Vt quorum solis commercia cum Superis sint.
Ne culpes, nihil esse loco, nihil ordine pôstum,
Compôstúmque suo. crepidæ, mantilia, socci;
Agmina librum sparsa, ac velut hoste recepta
Iam primùm ex Sueco: Cicero, Maro; sacra, prophana;
Dismas, & Gesmas; Th. & Sco. eodem
Scamno juncta jacent: hinc pileus, urceus illinc:
Quandoque & fornax. si sella, aut mensa vacillat;
Supponunt testam; clivúsque aufertur acernus.
Ima pavimenti, tabulati summa videbis
Posse Syracosij griphis senis, atque figuris
Inscribi: qualeis monstravit Apella Monarchæ
Chaldæo. serpens reptaret pulvere in isto,
Spirásque occuleret, nova colligerétque venena.
Quàm dispar *Glycus*, & *Nasamon*! occasus, & ortus.
Pollubrum frustra quæris. mala somnia passus
Flumine purgatur vivo: Rhenóque, vel Istro
Abluitur: si caussa tamen patet ulla lavandi.
Nam rarò, aut nunquam sibi sordidus esse videtur.
Nec, si sit, penset, Cynici memor usque Decori.
Pexus, an impexus, mediam procedat in urbem,
Tantumdem est. neque si Nisi coma detur, honorent.
Talia non curant, quorum omnis cura Deorum est.

XXXIII.

*Sckepsius Hirniades*, prorsus mirabile sumen,
Si fragilis casu confringitur hydria; torto
Fune ligat frusta, & figulum deludit hiantem.
Spectando formam; magna cum mole ruenti,
Ac bene contuso saltanti concolor urso est.
Spectando doteis, ipsis, sine Apolline, Delphis
Præsideat, vastóque oracula fundat hiatu.
Omnes hi, quotquot merita cum laude citavi,
Non raptum ex trivio, prætextatúmque Poëma,
De Veneris concha, fractóque Cupidinis arcu;
Sed castum, succique boni, dignúmque sonante

Prælia Papinio, magnísque Maronibus edunt.

XXXIV.

*Marcus Abantiades* ſtrumoſus,& *Aſcrio*, venâ
Gutturis inciſâ generoſi palmitis ictu,
Purpureos fundunt verſus, muſtóque madenteis.
Quis Deus oſtendit potiorem Aganippide fontem,
Vatibus hanc *ſtrumam*, atque artis compendia tantæ?
Ergo Poëtarum ſubjectâ faucibus unctis
Humor, iô dulcis fluit ex Permeſſide bulga!
Felix, ô nimiùm felix, qui ſe ebrius ipſo,
*Eructare* poteſt verè ſpumantia dici
Carmina. nil uſquam eſt, quod non queat utile reddi,
Felices ambo. Vatum, niſi fallimur, horum,
Iam jam nulla mora eſt, plures quoq; caſtra ſequentur.
Ecquis enim totus cupiat non muſteus eſſe?
Et talem venam cum fœnore habere ſecundam?

XXXV.

Quos tamen inter erit nunquam *Brandiſius Azor*:
Delicias Iuvenis! ſibi Virginis æquora chartæ
Deeſſe gemens queritur. membranis vilibus horret
Conceptus mandare ſuos. cupit edere fœtus
In nido, qualem pullis vix conſtruit ipſa
Halcyone dilecta ſuis: vel clarior ales,
Quo moritur buſto Phœnix rediturus eodem.
Membranam Nymphæ! quaſi non ſit idonea quævis
Deſumpta ex Nili ripa ſtagnante papyrus!
Arboreis veteres ſua commiſere tabellis.
Inde liber cortex, durans per ſecula nomen.
*Azor* erit melior priſcis! ſtirpíſne pudebit,
Ex qua ſcinduntur tenues ſcriptoris in uſum
Bracteolæ. quid vis? oritur de caudice CODEX,
Quem Domini Iuris volvunt utriuſque periti,
Evolvunt nunquam. *Brandiſius* aſpiciat vix.
Ex omni ligno non quivis Mercurius fit.
Ex iſto poſſit fieri dulciſſimus Hermes.
Ac, bene ſi truncum novi, ficulneus Hermes.
Alloquor hunc, quicumque latet ſub nomine tali.
Hem! fruere, ut nactus. *virgo* tibi *charta* petenti
Carminibus vitianda tuis nitidiſſima detur: Quali

Quali fortè uſa eſt Pulcheria Byzantina;
Cùm fratrem admonuit, *ne crederet omnia ſervis.*
Aut quali utuntur, quibus eſt in amore libido.
Duc apices: imple ſpatium certantibus album
Literulis: auri radios aſperge liquentis:
Alline rubricam: varijs diſtingue corymbis.
Vndanteis oras Catanenſi pumice rade:
Haut tamen effugies ſcombras, piperiſque cucullum.
Ad flaveſcenteis portaberis emptus Apellas.
Quare, ô *Brandiſi* noſter, dulciſſime rerum,
Si quid habes cedro dignum, hoc in pelle aſinina,
Inque tua, flagris priùs à cerdone ſubactâ,
(Sis cerdo tuus ipſe, & fortibus utere loris)
Scribere ne dubites. nobis auctoribus aude.
Tunc & jure ſuo talis ſuper aſtra volabit
Codex, ſeu Caudex. audis? jam Pegaſus hinnit,
Et fratri Arcadico juſta plus parte recedit.

XXXVI.

Ecce novum crimen, non ſimplex, Cæſar Iuli:
Dignum, quod Romam ferat ad ſublime tribunal
Tullius, & verbis cauſſam ampullantibus æquet.
Nempe? *Galas Sthenelus* Cygnorum non niſi pennis
Scribere vult. *Mediam Medici pertundite.* tanti
Hoc inſtrumentum eſt, quo famam extendere poſſis?
Si deſit calamus, ſcribatur arundine longâ.
Ille meus tribulis etiam Iuvenalis, & haſtis
Fertur pampineis, furciſque nigrantibus uſus.
Vnius excuſſo cornu, aut titione culinæ,
Liventi ceræ multos impreſſit Iambos.
Deſine mirari, cur tot carbone notârit.
Nos non reſpuimus corvos, ubi ceſſat olorum
Obſequium; neque jam ſupereſt niſi Baucidis anſer.
Illi parcatur, nam Iuppiter ipſe pepercit.
Vt nihil excerret curvum, ſua pingere velle;
Cura ſupervacua eſt: pravus, rectúſne character;
Ordine, an obliquùm ſulcis ducatur ineptis.
Fuſilis ideirco plumbi novitate repertâ
Quam dixere TYPUM (tibi ſe, Germania,

Scriptio corrigitur, prælóque admota nitescit.
Additur & pondus pretiosum, visque morandi,
*Ne permissa volent rapidis ludibria ventis.*
*Plantinus* retinet, retinet *Moretus:* apud quos
Perpetuùm hæc durant celebris retinacula famæ.
Amstela, Lugdunum, Batavo, Gallóque sub axe
Adjuvat: & Romanus apex, atque Adria Marci;
Liligerúmque frequens complexa Lutetia campum:
Et nullis unquam succincta Colonia mendis.
*Plus ultra* non ire datur. stat terminus ævi.
Vatibus, ut Nautis, has Gades Gloria fixit.
O curvas animas, & vel terrestrium inanes!
Si magno sumptu tristes angamur, ut *Alpha*,
Et *Beta*, & *Gamma*, & *Delta* expingatur in albo.
Si possit bene *Kappa* legi; frons jam, puto, salva est.

XXXVII.

Festino ad metam; circóque educo jugales
Defessi cum solis equis. procedit olympo
Vesper, & in noctem venturos instruit igneis.
Ad te sermo redit, Crescenti, cujus & orsa
Auspicijs progressa foras. sententia nostræ
Mentis, credo, patet. sic est. *Caput imperat Orbi*
*Non pes*, ajebat, podagrâ luctante *Severus*;
Quò minùs exiret, lecti detentus in umbra.
*Sic Animus*, pariter dicam, *Sophus atque Poëta est,*
*Non vultus.* litem quovis sub judice solvas
Iam facilem. dubitare nefas: impensior utri
Cura, modus, sumptus sint debita. si puer intus
Appares, extráque senex; mordebere dictis:
Ordine converso mirè laudandus. Adultæ
Scilicet ætati, centum ningentibus annis,
Præfertur longè placidus vigor, ac juvenilis
Canicies Animi. modo sit sapientia cana;
Quali cæsaries sit subterfusa colore,
Romæ Popilius Numa non referre putavit.
Non quia crinitus, *cithara crinitus Iopas*,
Sed quia facundus, Didonis personat aures.
Non melior vates, qui mollior: aut quia pulcer,
Cultior

Cultior eloquio. *Distant hæc æra lupatis.*
*Pontice*, suadentem sequere, audactérque venustæ
Detrunca partem formæ: tenerásque sorores,
Ac matrem toto radicitus erue vultu.
Auruncum mento suffigi fortiter opta.
Opta verrucas plures succrescere quinis.
Quas gemmas natura dedit, monstremus inemptas,
Nam nævus quandoque decet; vitiúmque superbit
Militis in facie: laudi est numerosa cicatrix.
O de Palladijs si stent tibi fronte cerastis,
Saltem aliquot summo nutantes vertice cristæ:
Quantus habereris! si dens quoque longior unus
Promineat. signum est genuinum agitare potentis.
Quem si non metuit derisor Zoilus, actum est.
I licet. invidiam nescis, odiúmque mereri.
Collige sarcinulas: ingratam desere Cyrrham.
Versibus auditis nullus disrumpitur Idmon.
Dimidios fructus studiorum, ac gaudia perdis.
Heu miser! urge aliquid, doleat quo saucius, ictus
Tamquam tormentis & flavæ bilis, & atræ:
Támque atræ, quàm trux fuit Atreus ipse Mycenis.
Non potes hoc? actum est. proscindis vomere littus:
Fluctibus æquoreis Cerealia semina mandas.
Iudice me, satiùs fuerit conducere furnos;
Venari vespas, culices mactare palustres:
Et vel Teutonicos pretio purgare caminos.
Sed genij concepta tui me major alit spes.
Esto: sint mores non totâ cote politi;
Declinas tamen in torvum. lanugo ferocis
Pullulat indicij; fruticátque emblema pilosum.
Pectinis ignoras radios; nisi pectine tantùm
Quo nôsti pulsare chelyn; nos ludimus ipsi.
Censoris vitrei ad valvas consistere tædet;
Intuitúmque tuæ subsultu pascere larvæ.
Aversaris acus Phrygias, & cinnama, & ungues
Impletos costo. quoties conviva vocaris,
In primis esum leporis sapienter abhorres.
Formam augens eadem pulpa ingenij minuit vim.

Quin & docta placent vigilatæ somnia noctis,
Talis in Empusæ cavea, aut præsepibus altis;
Martis ubi Thrax nutrit equos, antróque Trophonî,
Divinos ducet versus, scopulósque sequaces,
Auritásque trahet silvas. quocumque profectus
Fixerit exiguam sedem; comitabitur illum,
Trans Thulen, citharis resonans, Heliconius aër.

XXXVIII.

Accipe dictorum summam; memoríque reconde
Vltima verba sinu. Si stent sine lege capilli,
Vtque jubæ volitent; multúmque leonis in ore
Rugiat: & facies meditantis prælia tauri
Misceat humanam; totáque ferocia fronte
Fulguret exsultans: ea demum est vera venustas,
Optandúsque decor, consummatúsque Poëtæ.

ILLE MIHI ANTE ALIOS, QVI VIX A GORGONE MAVRA DISTAT, VT IN SAXVM POSSIT CONVERTERE MOMVM.

XXXIX.

Hæc ad Danubium: quo tempore Pockius annos
Absolvit vitæ; Frater notissimus *Arci*,
Quam juga sustentant. veteri NOVA more vocatur.
Illa PALATINO paret frenata PHILIPPO.
Carmen ut exactum fuit; ad patefacta fenestræ
Fortè tuens steteram, Fluvium speculatus euntem.
Ecce tibi: fundo canum caput extulit ISTER,
Non procul àggeribus, quos intra currere jussus
Cum Nymphis solitos lusus exercet aquarum.
Tunc fortè innanteis volvebat gurgite cervos.
Venabatur enim. quassaverat ergo Tridentem,
Tritones comtos; torvæque armenta Dianæ
(Visa irata parum) navi imposuere subacta.
Observare Deum placuit: quo lumine, & ore!
Torvus erat: torvæ Nymphæ, torvíque ministri.
Olli grande caput signant rorantia tauri
Cornua. cæruleos oculos infecerat imber.
Luxuriant herbæ per colla tumentia nodis.

Vertice

Vertice ſtant Cannæ: verbenáque conſita juncis
Tempora complexa eſt. rivus de naribus exit.
Barba madet, ripâſque impexo flumine verrit.
Protinus exclamo: quid enim jam denique reſtat?
Vt video, torvi terris dominantur, & aſtris,
Et pelago. talem ſi patrius exhibet Iſter;
Quâ facie Neptunus erit! quâ Iuppiter altus!
Namque Imum curare, nefas. qui præter atroces,
Ac ferrugineos orbeis, quibus utitur, Orcum,
Séque videns, nimiùm noſtris abludit ab oris.
Flammea per patulos ſtagnant incendia rictus.
Danubi natura trucis diſcrimine magno
Diſtat. in hirſuto nant quædam gaudia vultu,
Quæ plebs nulla capit: nec nauta domeſticus unquam
Advertiſſe poteſt: ſolis noſcenda Poëtis.
Digna Deo facies, lentiſque imitata colorem
Muſcoſo ſqualore viret. delectat & horror.
Ecce, iterum pleno totum ſe condidit alveo.
At non nos Iſtro totùm ſimiléſque, paréſque.
Ille manet ſemper torvus. noſtrum decus omne
Abſorbet Letum: nullâ remanente figurâ.
Ille, licèt nequeat curſum cohibere, fluátque
Aequor in Euxinum, & ponto moriatur eodem:
Nempe reviviſcit; ſimul ac cunabula pulſat
Thethyos; atque novos largè reparatur in ortus.
Noſtræ Sandapilæ quando vertuntur in uſus
Cunarum! ille redit: nos autem quando redimus?
Cùm ſemel extincti Lethæum intravimus amnem:
Haut alijs rurſus ſcatebris exire licebit.
Currite Mortales fluidi. *Dilabimur omnes*
In mare *ſicut aqua*. Belli, torvíque Sodales,
Incompti, comptíque; aliquídque, nihílque nitentes;
Deformes,pulcríque, & quovis nomine noti;
Inſontéſque Ioci: Satyri, Satyræque valete.

# FINIS.



# PARÆNESIS HUIUS OECONOMIA.

I.

Ndigniſſimum videri, Iuvenes ad ſumma natos, neglectâ animi culturâ, ad vilitatem, & ſaginam corporis abjici. Philoſophum fingere comas ante ſpeculum; cùm ſpeculari ſublimia deberet. Itaque ſtatim ipſis, in veſtibulo hujus ſcriptionis, illud orbis prodigium *Diogenes Cynicus* proponitur, in abſolutiſſimum *Vultuoſæ torvitatis* exemplar.

II.

Enimverò cuncta venerationem quamdam, non tam ex elaborata venuſtate vultûs trahere, quàm ſacro incultæ antiquitatis horrore. lignei Iovis ſimulacrum ſæpe præ aureo coli. ut vel hinc appareat, caducum formæ bonum non nimis curandum eſſe. quando ad æterni nominis famam colligendam, nec *Biantis* gibbus, nec *Æſopo* ſtruma obſuerint.

III.

Porrò nihil abjectius eſſe delicato, & molli Philoſopho. quis enim, ſi ſapiat, non malit dici doctus *Therſites*, quàm formoſus ac rudis *Proteſilaus*? conſtat certè, *Chryſippæi* Acuminis v m, quod aureum tantopere laudatur, magna ex parte etiam ejus monſtrifico inuſitatæ magnitudinis naſo deberi.

IV.

Vt autem greſſum ulteriùs promoveamus; *Cleanthem, Carneadem, Pittacum, Solonem, Democritum, Cebetem*, ac præ cunctis Socratem non cute nitidâ ſuffultos, ſed immanis patientiæ fuiſſe Philoſophos, utique torviſſimos.

V.

V.

Iam verò in *Pythagora* quale spectari abstinentiæ, juxtà & sapientiæ miraculum! incitamento pôsteris, ut cupidine, non quidem Pythagoricæ transmigrationis, sed veræ, beatæque immortalitatis accensi, carnivoræ voluptates gulæ substringant; Polentæ Philosophicæ assuescant, multò minùs cæpas, & allia refugiant. est enim adhuc honestius, allia, quàm alia (nescio quæ) ructare.

VI.

Non aliud ceteros docere Stoicos: *Stoámque* universim disciplinam tradere sensibus quidem minùs gratam, sed effrenatis cupiditatibus subigendis perutilem; austerioris vitæ, prudentiæq; Magistram. Id satis manifestare *Anaxagoram, Anacharsin, Stilponem, Epictetum, Heraclitum, Speusippum:* ante omnes *L. Ann. Senecam* Cordubensem.

VII.

Sapientiæ illius pondus vel ex unica dissertatione posse librari, quam collegerit auctor Paræneticus, ex varijs epistolis ad Lucilium scriptis: in quibus frugalitatem, rerum cœlestium amorem, terrenarum contemptum; uti opum, illecebrarum, sui denique, & ipsius Mortis, disertissimè commendat.

VIII.

Sed non perinde apparere; quâ fronte, quo animo, quibus auribus, calamistrati Iuvenes accepturi sint Philosophum, de Vanitate Mundi, de Fato, de Fortuna, & qui Fortunâ, ipsóque Leti terrore major fuit, *Catone* disputantem. scilicet nitentes ocellos, roseas malas, labella diluta, tepentes lanuginis circa genas folliculos, à pectine surgentes cirrhos, balsami thecas, & mille alia ætatis, atque luxuriæ oblectamenta, vel irritamina, ad intelligendum, suffectura! potiùs illos Senecianæ lectionis capaces substituendos: quorum & qualium ora, mirus artifex Morpheus, *Iacob. Callotus* multiplici ære expresserit.

IX.

Verbo: deformitatem corporis, adipiscendæ sapientiæ nullum obstaculum præbere; immo & *Platonis*, & Platonicorum experientiâ, magnum conferre subsidium.

X.

Falli Peripateticos, (ut neque hanc sectam omittamus) opinantes *Aristotelem* unguentis, speculo, annulis, armillis, & mollibus semper usum fuisse vestimentis: eo enim tempore, quo scripturus *de partibus animalium*, brutam anatomiam, non tamen bruto modo exercebat, plerumque instar sordidi aruspicis, sive cruenti popæ Naturæ incessisse.

XI.

Vt de *Medicis* multa hoc loco non dicantur, quo fato tamen, nesciri, cur torviores sint feliciores; minùs conspicui famâ, magìs conspicui formâ. Iam æger fidentiùs obtemperat, cùm notat imperantem potestate extraordinariâ verba facere: & ibi certiùs latere credit artem, ubi certiora jocantis Naturæ patent signa. Quâ occasione *Bernardi Marosandula*, celeberrimi Medici gloria refertur. siquidem mirum in tres Parcas, velut mancipia sua exercentis imperium; solo aspectu immorigeris, aut contumacibus formidabilis: vapulant, quoties non obsecundant.

XII.

Distortos autem *Mathematicorum* vultus, qui negat exoticum, hoc est, Planetarum cursibus conveniens ingenium portendere; ipsummet dubitantem, portentum esse. An facies *Nicolai Copernici* moventis terram, sistentis Solem à facie prodigiosi Cometæ multùm abluserit! Multi certe faciliùs credent Astronomum in Cometam verti posse, quàm immoto cœlo, terrarum hanc molem infra sidera gyrari. Vt ut sit, hujus tanti, talisque viri, sive nubila opinio, clarior inventio, non ex eburnea Poloni fronte, non ex ore roseo defluxerint. Animosus, & hirsutus hic Atlas fuerit necesse

cesse est. ô quoties patrias ursas æquè torvus aspexerit, quoties Helicen,& Cynosuram salutârit! illæ stellæ circa polum Arcticum stare videbantur, quia inocciduæ: putavit & solem stare. Ne fabulemur, prodest aliquando & fabulas scire; si legisset Ovidium; tutus erat à quiete terræ, & casu ingenij.

XIII.

Quòd si etiam sanctioris Instituti Philosophos inquiramus, asperitatem vitæ, & rugas quodammodo professos; occurrere *Ven. Bedam*, *Scotum*, *Capreolum*, *Durandum*, *Occamum*, aliósque doctrinâ mirabiles, vultu terribiles. Quibus simillimos producere hodiéque *Salamanticam*, *Complutum*, *Conimbricam*, cæteráque in Europa maximi nominis Lycea. Viventibus prætermissis, *Soarezij*, *Vasquezij*, *Mendoza*, *Lessij* torvi, an macri dicantur, nihil interest, constat enim illis corporis curam fuisse nullam, animi summam. Et *Lessium* quidem Brabantinum, scriptorem clarissimum; si non usque ad horrorem spectantium expalluit; saltem oblongo vultu, naso aquilino, totâ facie, ut Historicus refert, temporibus potissimùm macie introrsum actis: denique assuetudine patiendi, vincendique dolores morborum, etiam ferream Vett. Stoicorum Patientiam non sine Analgisia, superâsse. sed aspectu traditur placido fuisse, miti ac pio! tantò magis Animi vultus inter quadraginta quinque annorum tormenta fuit generosus, ac torvus Sententiam meam probant duo calculi in mortui vesica reperti. Suffragia plura requiris?

XIV.

His exemplis animum discentis Philosophi, hoc est, amantis sapientiam firmandum esse; atque adeò assuefaciendum, ut amore illius potiundæ, omnia dura tentet, subeat, perferat: nunquam certiùs potiturus, quàm neglectis venustatum cupedijs, laborioso charactere *torvi* insignitus.

XV.

Quod illis præsertim inculcandum; quibus suprema

Magi-

*Magisterij* Laurea, non ut nitidis, bellis, formosis, comptis, crispis; sed ut doctis, eloquentibus, serijs, animosis, Aristotelicis, hoc est torvis, consummati honoris apex imponitur.

XVI.

Hactenus dicta in prima parte Paraenesis; procedendo nunc ad secundam, multò magis contingere Poëtas: Vix enim fieri posse, ut studium, quod impetu circumagitur, cùm insanientis sapientiæ vis semel inundavit animum, non etiam tempestate mysticâ vultum aliquo modo mutet, torvúmque efficiat. formositatem, oculorum genarúmque gratiam, cincinnos, & quæ alia in speculo ornamenta relucere possunt; ad Poësin non plus conferre præsidij, quàm phaleræ conferant equo, gemmifer capulus ensi.

XVII.

Omnes Vett. alicujus nominis Poëtas, ab *Ennio* usque in Augustæum seculum deductos, & ultrà; fuisse uno verbo, torvos. & quidem *Iunio Iuvenali* Satyrographo, Torvitatem, velut quintum elementum, accessisse.

XVIII.

Pictorum imperitiâ, an incuriâ, accidere; quòd *Musa Heliconis* spectentur nitidæ, molles, muliebriter expolitæ tamquam ad calathiscum sedentes floribus implicandum: cùm sint Viragines severæ, castæ, pigmentorum, cerussæque contemptrices, tetricæ, torvæ.

XIX.

Hoc insuper manifestum fieri, ex illarum recensitis nominibus, officijs, ac moribus.

XX.

*Palladis* item, atque ipsius *Apollinis* majestate, utrumque nomen, aspicientes horrore quodam percellere.

XXI.

*Sibyllam* certè Cumanam, lib. VI. Aeneid. simul afflata est, vaticinantem formasse vultus horribiles.

XXII.

Quod exemplo possit esse, atque documento Poëmata

mata mollientibus, ut formæ, pectini, & stibio parum confidant, nihil imputent. *Ofelli* enim Narcissuli teretes versiculos, & *Marci Schocki*, hirsuti viri palimpsestum Satyricum, toto Parnassi spatio distare.

XXIII.

Exhibetur nobile par Vatum, *Halys*, & *Capys*. Capyn autem extenuatum, scabrum, macieque confectum, tantò esse meliorem præ Haly succulento, atque obeso, quantò torviorem.

XXIV.

Inquiritur istâ occasione; *Poëta nascantur, an fiant*. Explicatur vulgo receptum proverbium, in gratiam *Bavij Tigurini*, & *Damiani Maraconis*.

XXV.

Labore omnia constare. quidquid Natura dederit, arte perfici. Ipsum *Virgilium*, Poëtarum Principem, ignavos, nitidósque Iuvenes utique exemplo suo confutaturum, nullis laboribus pepercisse. vel solum clypeum Aeneæ à Vulcano fabrefactum, describendo lib. VIII. Aeneid. instar Cyclopis sudasse. vt meritò de illo ad Volscam incudem relatum sit: *Cùm decolor esset Flaccus, & hæreret nigro fuligo Maroni.* Sat. 7. Iuven.

XXVI.

Idque in primis observandum fuisse *Claudio Frigatto Veronensi*, lautè viventi, promittentique dignum aliquid populari suo Catullo, etiam Marone; sed non perinde pollicita factis exæquanti. passerem enim, cujus blanditias, & laudes edidit, à Cygno Mantuano longissimè abesse.

XXVII.

Apparuisse id ipsum in *Vdalrico Castrico*, Augustæ ad Lycum nato, & *Leodegario Ilerda Helvetio*. Audi, specta, lege pulcri pavonis, & fœdi (quare non torvi?) bubonis certamen. utrique vox ingrata. quis tamen crederet? Pavonis pennas, pulcritudine bubonis superatas esse scribendo.

XXVIII.

Posito Poëtam præstantissimum esse Myropolam, tantám-

tantámque vim balsami spirare, *quantam non redolent duo funera*: non reddi tamen idcirco Carmen fragrantius, vel in ipso rosarum thalamo natum. Docere hoc *Ludovicum Sosam*, & *Hirtacum Carallam*. Alterius enim optimis semper odoribus repleti, fœtere versus: floridissimum alterum Vatem, & mera vaporantibus jambis aromata spargentem, hircum olere.

XXIX.

*Ambrosium Mucconem Gallum*, quamvis facie, & moribus Cynicum pœdore, & porrigine scatentem, Apollinis, omniúmque Musarum esse delicium: uti & *Fridericum Pansam*, contrà *Tryphonem*, nitidissimam bestiolam contemni: utpote non dignum, qui Pansæ pedibus cothurnum, soccúmve inducat, aut solvat.

XXX.

Ceterùm *Pharaëlem Arausicanum* à figura Narcissi multis modis abhorrentem, altissimo canendi genere, immortale sibi nomen, in sacro monte comparâsse.

XXXI.

At *Theodorum Glycum*, emendatissimum exemplar omnis munditiæ, in ridicula unius Muscæ descriptione, quum fingeret sibi proprias laudes, præ philautia penè extabuisse.

XXXII.

Quocirca prudentiùs quemcumque facere cum *Hupsiade Gluckersio, Didymaone, Rabasto*, aliisque crudissimis cetera socienis, & si vultum tantummodo spectes, ad rastra, & ligones amandandis. at enim ingenijs ipsorum nil cultius, sublimiúsque posse cogitari. Tantorum Poëtarum Augia, modúsq; vivendi describitur.

XXXIII.

*Sckepsij Hirniadis* Poëtæ Silesiani inaudita, etiam Diogeni invidenda paupertas: tantò opulentior facundia.

XXXIV.

Nihil autem mirabilius videri *Bernardo Abantiade*, Poëta Strumoso: quippe ad carmen ex uberiore venâ fundendum, nullis seculis usurpatam phlebotomiam adhi-

adhibente: ne quidem in Alsatia; nescio, an in Tyroli. Hunc sane caballino fonte non indigere; Lyæo, & Phœbo, Poëticam venam simul stimulantibus.

XXXV.

Itaque non dissuaderi Vatibus haustum generosi vini, zythive spumantis, alteriúsve potionis soporiferæ, quo Enthusiasmi excitantur. quæ enim dignior Hippocrene? sed effeminatas prohiberi delicias, & putidas elegentiarum sollicitudines: quibus exempli gratiâ implicatur *Brandisius Azot.* nimiò cultu odiosus: se suósque versiculos tanti æstimans, ut non nisi regiæ, tenerrimæ, candidissimæque chartæ illinere dignetur, paullò crassiorem, nigriorémve instar bibulæ, atq; Emporeticæ aspernatus. torvos, verósque Poëtas, non curare has minutias.

XXXVI.

*Mathiam Sthenelum* adhuc delicatiùs ineptire, anxium in delectu calamorum, atramenti, scripturæ, manûs. quasi verò Poëma præclarius reddant apices pictorij. Cura prorsus supervacanea, hoc æ o; quo typographica inventio omnium Auctorum labores solatur; ab interitu liberat: & opus etiam rudibus literis deformatum, à quantavis fœditate absolvit. Scribantur digna legi: beneficium præli non deerit. & vel torvus Amstelodami splendebit.

XXXVII.

Sequitur Parænericæ allocutionis decursus, Crescentium Marconam, ad consequendum TORVITATIS privilegium, contemptúmque luteæ formæ, puerilium item nugarum bullarúmque vehementer exstimulans.

XXXVIII.

Anacœphaleosis.

XXXIX.

Epilogus. De brevitate, cursúque vitæ humanæ, ex contemplatione Danubij.

HIS

# HIS ASSERTIONIBUS PARÆNETICIS

## Subſcribit primò.

## L. Annæus Seneca, Philoſophus.

HOneſtum ei vile eſt, cui corpus nimis carum eſt. Epiſt. 14. ad Lucil.

*Quantum* potes, circumſcribe corpus tuum. Animo locum laxa. id bonum cura, quod vetuſtate ſit melius. Epiſt. 15.

*Mirum eſt* fortiter aliquid dici ab homine mollitiem profeſſo. ita enim plerique judicant. Senec. ad Lucil. Ep. 33.

*De te* ipſo gaude, & de optima tui parte. Corpuſculum magis neceſſariam rem crede, quàm magnam. Seneca ad Lucil. Epiſt. 23.

*An tu* exiſtimas, quemquam delicato vultu mortem contemnere? paupertati domum aperire? &c. ib.

*Propoſitum* noſtrum eſt, ſecundùm naturam vivere. Hoc contra naturam eſt, torquere corpus ſuum, & faciles odiſſe munditias. frugalitatem exigit philoſophia, non pœnam. Epiſt. 5.

*Stoici* non habemus iſta odorifera, nec emptorem decipimus. depone iſtam ſpem, poſſe te ſummatim deguſtare ingenia maximorum virorum. per lineamenta ingenij opus nectitur. Epiſt. 33.

*Corpus* quoque, etiamſi magnas habet vires, non aliter, quàm furioſi, aut phrenetici validum eſt. Stulta eſt, mi Lucili, & minimè conveniens literato viro, occupatio exercendi lacertos, & dilatandi cervicem, ac latera firmandi. Cùm tibi feliciter ſagina ceſſerit, & tori creverint: nec vires unquam opimi bovis, nec pondus æquabis. Epiſt. 15.

*Animus*

*Animus* suo bono nitatur. non faciunt meliorem equum aurei freni. Leo speciosus ex horrido: cujus hic decor est, non sine timore aspici. præfertur languido,& bracteato. nemo gloriari,nisi suo debet. formosa familia &c. non sunt in homine. Epist. 41.

*Torvitatem quamdam & in silvis & specubus veneratur Seneca.* ib. Si tibi occurrit, inquit,vetustis arboribus, & solitam altitudinem egressis frequens lucus, & conspectum cœli,densitate ramorum aliorum alios protegentium submovens: illa proceritas silvæ, & secretum loci, & admiratio umbræ, in aperto tam densæ, atque continuæ; fidem tibi Numinis facit. Et si quis specus, saxis penitùs exesis, montem suspenderit, non manu factus, sed naturalibus caussis, in tantam laxitatem excavatus: animum tuum quadam religionis specie percutiet.

*Non multum* ad tranquillitatem locus confert: (vel corpus) Animus est,qui commendat omnia. Vidi ego in villa hilari,& amœna mæstos; in solitudine occupatos. Epist.55.

*Non est summa* felicitatis nostræ in carne ponenda. Bona illa sunt vera, quæ ratio dat. Cetera opinione bona sunt. Vtamur illis, non gloriemur. Ep.74.

*Quid excolis* formam, cùm omnia feceris; à multis animalibus decore vinceris. Quid capillum ingenti diligentiâ comis? cùm illum vel effuderis more Parthorum, vel Germanorum nodo vinxeris; vel ut Scythæ solent, sparseris, in quolibet equo densior jactabitur juba: horrebit in leonũ cervice formosior. Ep. 124.

## Subscribit secundò.

## Franciscus Petrarcha, Poëta.

### *Ex lib. I. de Remedijs utriusq; fortunæ, cap. 2.*

GAudium. Forma corporis eximia est. *Ratio.* Nihilo firmior est illa, quàm tempus. Quamvis etiam

etiam durabile, perpetuúmque Naturæ donum esset: non intelligo, quid tantopere expetendum habeat iste non solidus, nec in ipso homine, nisi superficie tenuis fulgens decor, multáque fœda contegens, & horrenda; levissimóque cutis obtentu sensibus blandiens, & illudens. Veris igitur, & mansuris bonis delectari convenit, non falsis, atque labentibus. *G.* Forma corporis elegantissima est. *R.* Habes velum oculis, laqueum pedibus, alis viscum. Haut facilè, seu vera discernere, seu virtutem sequi poteris: seu in altum evolare animo. Multos enim ad hon esta pergentes forma detinuit, detorsitque in contrariam partem. *G* Forma corporis mira est. *R.* Bene ais, mira est. quid enim hac vanitate mirabilius? Quanta sibi inferunt juvenes supplicia, ut formosiores non sint quidem, sed appareant. quot honesta interim, quot utilia, quot postremò necessaria negliguntur! Tuum igitur breve, caducúmque bonum, & inane gaudium, sine invidia tibi habeto. *G.* Forma corporis magna est. *R.* Solet hæc stultos adolescentes, quo non expedit, urgere. *G.* Forma clara est. *R.* Exspecta paulisper, & non erit. *G.* Forma corporis hactenus excellens est. *R.* Quàm mallem formam Animæ excellentem. est enim & sua animæ pulcritudo multò suavior, certiórque, quàm corpori. Illam optare, illi operam impendere, dignum erat. *G.* Præclara facies honestat animum. *R.* Immo quidem exprobrat: & sæpius in periculum trahit. Quid enim attinet gloriari eo, quod neque tuum sit, neque diutius servare possis. quod habuisse, nulli; projecisse, multis gloriosum fuit. *G.* Gratior est pulcro veniens è corpore virtus. *R.* Gratior, sed non major, aut perfectior.

*Idem Auctor in secundo libro, Deformitatem corporis etiam facundo patrocinio solatur, quantò rectius Vultuosam Torvitatem exornásset.*

DOlor. Formam corporis natura negavit. *R.* Si formam animi largita est: maximi debitor, exigui repulsam maximâ mente despicito: & offensam speculi

ſpeculi conſcientiâ ſolare. *D.* Forma mihi corporis negata eſt. *R.* Rarò admodum forma inſignis honeſtáſque ſub uno lare habitant. Bene tibi accidit, ſi pejori excluſâ, melior tecum eſt. *D.* Nullum formæ decus obtigit. *R.* Quid hinc doles? in quo tibi neceſſariam, aut omninò uſui, & non potiùs impedimento eſſe corporis formam putes? *D.* Cur me deformem genuit Natura? *R.* Vt ipſe te ornares, ac formoſum faceres, eâ formâ, quæ tecum eſſet in ſenio, in grabato, in feretro, in ſepulcro: eſſètque tua, non Naturæ laus, aut parentum. pulcrius eſt, pulcrum fieri, quàm naſci. illud enim casûs, hoc ſtudij eſt.

## Subſcribit tertiò.

## Rever. P. Jeremias Drexelius S. J. Aſceta.

*Ex Triſmegiſt. lib. 3.*

CVi pulcrum eſt corpus, & Anima mala; bonam habet navim, ſed malum Gubernatorem. Cap. 11.

*Dic quaſo:* quò ſpectant flexæ pectine comæ? meliùs flectitur pervicacia. Quò facies medicamine attrita? Animus magis indiget. Quò crines in fronte refugi, & in altum erecti? Mens erigitur rectiùs. Quid facit gemma in articulo? ſi neſcis, in ſcriptis pulcriores ſunt gemmæ, quàm in digitis. eod.

*Socrates* quidem Philoſophus ſuis ſuaſiſſe fertur, ut ſemet in ſpeculo contemplarentur: ſed in morum, & diſciplinæ, non in formæ gratiam id ſuaſit. hoc enim volebat vir ſapiens, ut ſiquis ſuorum à pulcritudine commendaretur, impendio procuraret, ne dignitatem corporis malis moribus dedecoraret. Qui verò minùs ſe commendabilem formâ putaret, ſedulò operam daret, ut virtutis laude turpitudinem tegeret. Non juſſit Socrates ad ſpeculum curioſiùs comam ſtruere, non capillamentum in ſtatione diſponere: non crines, velut ſuggeſtum ædificare, &c. cap. 5.

Quàm

*Quàm* Iuvenes oculos in omnem partem flectunt, ne quid nævuli industriam oculorum effugiat! Vah! Vanitatem Vanissimam. Quid speculum consulis? mores tuos intuere.

eod. &c.

# F I N I S.

---

## MENDA EMENDATA.

Columna 21 vers. ult. scrpturus, leg. scripturus.
Col. 34. v. 11. st. l. est.
&v. 13. est, principium. l. est, & principium.
Col. 41. v. 14. declivs. l. declivis.
Col. 48. v. ult. Tam n. l. Tamen.
Col. 58. v. 5. & 6. juvenis. l. in venis.
Col. 65. v. 23. njuriosè. l. injuriosè.
In Parænesi. pag. 17. v. 1. nostróque. l. numeróque.
pag. 22. v. 21. magna in. l. magna vi.

